IANI DOVSÆ NORDOVICIS IN NOVAM Q. HORATII FLACCI EDITIONEM Commentariolus.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.
CIↃ.IↃ. LXXX.

IANVS DOVSA NORDOVIX VICTORI GISELINO FRANCONATI SVO S. D.



I VICTOR, *vtinam diem illum videam, quum tibi, pro* Fernelia*na dicatione, ex sentẽtia vtriusque nostrûm gratias referam. Adhuc quidem certè opera nostra parci oppidò fuisse videri possumus. Sed tempora vides, & nostrum istud viuere triste, in tãto Musarũ, Gratiarum, at humanitatis omnis contemtu: postquam reperti sunt homines, qui nouam & adumbratam eruditionem priscæ ac germanæ doctrinæ anteponerent. Nos tamen inconcussi, & conscientia nostra etiam beati; Respublica misera, & cui nouo Simonide elugendæ sit opus, in tantis præsertim totq; pugnantibus sententiis; veluti in extrema tegula positæ; peius, quàm inter sacrum & saxum.*

O patria, ô Diuûm domus Ilion. *Sed*

humana humanitus ferenda; atq. hæc ille viderit, qui supra nos negotium curat. Nos verò spreta insulsissimorum hominum barbarie, ad desueta porrò studia, & interiores literas illas nostras, tanquàm ad portum tranquilliorem, vorsoriam aliquandò capiamus. Qua in re & ipse officium herculè meũ facere ausim; hac tamen exceptione, si per te liceat modò. Liceat autem? Vah, qui me vltrò etiam currentem solitus incitare? Et incitabis porrò (sat scio) si tamen antiquum ac solenne illud obtines tuum, vt non cotis modò, sed verò & politoris vicẽ fungare. Nam alia fluxa, & verum nimis Crispi illud: Egregia ingenij nostri facinora, sicuti anima, immortalia sunt. *Neq; verò esse arbitror, quod de voluntate erga te mea dubites quicquam, tot tantisque experimentis tibi iam inde ab antiquo perspecta, ne dicã, penitissimè explorata. Audi ergò me Ennianum illud præfiscinè dicentem:*

Eo ego ingenio natus sum, amicitiam
Atq. inimicitiam in frontem promptam gero.

Quorsum istæc? inquies. Vt planè me tuum esse

esse porrò persuadeas tibi; & Iure quidem quidẽ perpetuo, hoc est, Lernutianum in morem; ne arbitrario *censeas. Quo nomine si necdum etiã sat acceptũ tibi fuisse doles, verecundiæ, vel curtæ potius supellectili nostræ, quàm aut oblivioni, aut benevolentiæ diminutæ tribuas velim. Neq. enim erat, quo, pro rei satis dignitate, vel tua, gratum invicem facere me possem tibi. & nosti, quantopere laboris sim fugitans; quàm denique vtilium tardus provisor. Cui tamen comperendinationi nostræ venia nulla debebatur, si apud alienum Iudicem causam dicerem. Nunc autem in meo ipsius Foro litigans, verendum mihi non puto, ne quod gravius adversus me Decretũ fiat: paratum præsertim superiorum temporum intercapedinem nova officiorum assiduitate, vel fæneratò, pensare. Cuius consilij mei specimen, & quidem in re præsenti, oculatis manibus vt arbitrere, en tibi Commentariolum hunc nostrum, quem ego recẽs modò, post tot veterum, tot novarum Tribuum Prærogativas, hoc est, priores omnium Interpretum sententias, Horatio*

 expensum

expensum vt ferrem, haud impetus sanè aliquis, sed verò ipsissima ratio persuasit mihi. Quid enim? Dedi hoc tum Poëtæ ipsius Genio, tum etiã Typographorum principis meritæ hercule industriæ, novam Horatianorum operum editionem molientis: dedi deniq. solidæ ac prætextatæ amicitiæ nostræ, qua apud animum meum nihil carius habeo. Proinde opusculum quantum est bifariã quasi dispartitum invenies, impari capitum numero, quorum priora quinq. confuso ordine, ac veluti per Satyram ex Præcidaneorum nostrorũ volumine saltuatim decerpsimus, ante septenniũ concepta, & nunc primùm in hanc Decuriam relata. Cetera astrictiora & cõcisa magis; quippe recens etiamnum ab follibus calentia: in quibus serie continuata; novæ, atq. (vti spero) solidioris industriæ nostræ testimonium comparere voluimus; Poëta vniuerso ab ipsis carceribus ad calcem vsque percurso; & si quæ suspectiora, aut liquida parum videbantur, obiter declaratis. Eò dico, ne inæqualitate dictionis moveare; néve ob biformis styli inconstantiam levior sit apud te diligen-

diligentia nostra. Vt neq. illud mirari te velim, quòd in largiendo restrictior fuerim, quàm soleo. Quam parsimoniam meam & superioribus Lãbini, & postremis Cruquij nostri Commentariis imputo lubentißimè. quorum curiosa hercule felicitate effectum, vt copia mea in arctum contrusa vix mihi hoc etiam, quod vides, reliqui fecerint. quippe quasi per obseptũ fundum semitã facere, & veluti aquam ex pumice postulare coacto. Expreßi tamẽ cum cura & fide hoc ipsum, quod potui: & vides operæ istius neceßitatem, quasi è quercu exsculpta. Quam boni porrò ipse vt consulas, noli amabo, dum exorem aut mihi te vindicem flagitem, exspectare. & patere nobis istud esse iuris apud te. Iampridẽ enim hoc ambitionis genus ex neceßitudine nostra, ad summum perrecta, in perpetuum sublatum esse debet. Proinde ne parum aut benevolentiæ, aut humanitati etiam tuæ confidere videar, proletario huic orationis generi supersedebo: illud modò præmonuisse contentus, nonnulla abs te repertum hîc iri, quæ, Brugis vnà quum essemus, tecum &

cum oculiss'mo Lernutio nostro ante triennium cõmunicavimus. Quæ vt apud vos gratiam fortasse novitatis exuerint, at reliquis tamen omnibus titulo certè suo respondere videbuntur. Non excusabo sermonis impolitiam, in hoc præsertim scripti genere, necessario potius, quàm spetioso, & cui iure meo Horatianũ illud prætexere possum:

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Nam quod Plautinam in nobis imitationem cavillentur, frustra sunt: imò hercule perridiculi; qui quod honori antiquitus fuit, hoc ipsum, vt probrum, nobis obiectare audent. idq; adeò haud mirandum, quippe qui ad Romanæ vrbanitatis salem tantundem sapiunt, ac grundule pecus illud, cui animam pro sale datam perhibet Varro. & verisimile est, maiorem horum Lucumonũ partem, si quando veteris Poëtæ, Oratoris, aut Historici incidat mentio, continuò se in alium orbem terræ, puta Americam, vel Iapanam delatos, arbitrari: neq. scriptoris, aut sermonis Latini; sed verò piscis, aut edulij transmarinum vocabulum audire. tantum abest, vt quid à sui

schœni

schœni sordibus Plautinæ Scenæ mundities differat, diiudicare poßint, aut signare linea alba. Quod si quis ex hoc genere facetior ad eũ sapiẽtiæ gradũ pervenerit, vt Plautum & Comicum fuisse, & Fabulas Latinè scriptas, hoc est, lingua longè alia, quàm qua in Foro, aut desidiabulis suis vti didicerunt isti, in Schenã Romanã detulisse, ex aliorum relatu, & quasi per nebulam auditũ magis, quàm sensibus ipsis, aut suapte industria compertum habeat, vel exquisitum; en paratum me tibi capere illicò cum illo iudicẽ; sed eũ tamen videre vt capiam, qui credat mihi, & qui causa mea litẽ istã faciat suam. Et quem quæso potius, quàm Lipsium meũ, antiquariũ vtiq. non è multis, illum dico Senatus nostri Principem, atq. in intimis Poëtæ eius amatoribus nomẽ iampridem suũ, & quidẽ publicitus, professum? Et scio, haud defugiturum auctoritatẽ. Quam qui contemnat, num quæ causa est obsecro, quin ego ipsum à sacris Lipsianis, id est, Musarum adytis cũ profano cætu exulem porrò atq. extorrem in perpetuũ esse iubeam? De reliquis quod me expurgem,

 minus

312

minus nihilo est, tametsi haud ignorem, fore in his nonnulla, in quibus plus satis, & fortasse nimis etiam Latinè loquutus videbor; non quidem tibi, aut tuis, mi Victor, verùm personatis Capitonibus istis, Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt. *& mirum, nî quispiam, ex hac turba nasutior, Martialis illud in nos convicium iaciat:* Tanti non erat esse te disertum. *Sed tamen familiariter omnia, ex lege & disciplina Romanæ, seu Bataviciæ potius simplicitatis: nec præter morem (vt scis) vtriusque nostrum, hoc est, homines ut videamur. Vale Victor doctissime, & fac quæso modis omnibus, vti nomen obtineas tuum, id est, vivas & vinças virtute vera, proinde vti adhuc fecisti. nam vt contrà nos ames, stipulatione opus esse non puto. Scio enim, quàm in amore sis tenax, & non horum hominum. Iterum vale. Lugduno Batavorum. Matronalibus.*

IANI

IANI DOVSÆ NORDOVICIS IN Q. HORATII FLACCI NOVAM EDITIONEM COMMENTARIOLVS.

CAPVT. I.

Fragmentum C. Cilnij Mæcenatis de morte Horatij Flacci, nunc primùm integritati ſuæ reſtitutum, ac declaratũ; indidemq́; THYNAE MERCIS *apud Horatium vera explicatio quæſita.*



NTEQVAM operam meam Horatio commodem, volẽtibus Poëtæ noſtri Manibus fore ſpero, ſi fragmentũ quoddam ad hanc ratem vnicè pertinens, mîq. & amatoribus eius gratificatus fuero. Conſeruator Fragmenti Iſidorus, architectus Mæcenas, materiarius Flaccus ipſe. in cuius funere elugendo, vſq. adeò dolori indulgere ſe prædicat magnus ille Muſarum antiſtes, vt omne annulorum ac pretioſorum lapidum ſtudium (in quibus ad inſaniam vſq. ad id tempus deditus fuerat) nimia iam mæroris impatientia in perpetuum porrò abieciſſe, ac tantum non eiuraſſe videatur. Verba ſic ſonant digniſſima hercule quæ hîc integrata potius, quàm apud Iſidorum corrupta, ac ſine vllo bono ſenſu legantur. Nam quid obſecro

obſecro lectionis eſt illud?

„ *Thymicus purus eſt, primum in Bithynia fabricatus,*
„ *quem olim Thynum vocabant. Flaccus* (mendoſe: Mæcenatem enim dicere voluit in obitu Flacci, quem vitam ſuam appellitat, inſolabiliter miſerãtem, atq. afflictantem ſeſe, nimiſq. molliter ægritudinem ferentem)

Lugente mea vita, nec ſmaragdos Berilloſq. mi Flacce nec nitentes, per candida margarita quæro, nec quos Thynica lima perpolibit anulus, nec Iaſpius lapillus. Vides numeros innumeros, vt fluctuent potius, quàm fluitent, ipſo Mæcenate diſſolutiores laxiuſq. diſcincti. Neq. mirum, verborum ſtructura hiulca adeo, ac deprauata; & in quam magis bono cum iure, quàm in Tabellas Phœnicij conveniat Plautinum illud:

Hæc quidem pol credo, niſi Sibylla legerit,
Interpretari alium poteſſe neminem. Ita quoquò oculos atq. animi mentem convortas, nec pes vſpiam, nec caput comparet in tam perplexa ac ſeptuoſa dictione. Sed erũt qui aliunde medicinam petendam clamitent. Acclamarem & ego, ſi tamẽ idoneum ei morbo Aeſculapium reperitare me poſſe confiderem. Et verò in ipſo Turnebo auxilij quę copia, ita in Adverſariis ſuis neſcio quàm caſtigatos, ex ingenio, an chirographis libris, eoſdẽ verſus repræſentante?

Lugent te, mea vita, te ſmaragdus,
Berillus quoq. Flacce, nec nitentes
Nunc per candida margarita quæro:

Nec quos Thynica lima perpoliuit
Annellos, nec Iaspios lapillos.

Laudo curiosæ industriæ experimentū, successum non item: Duos posteriores Phaleucos excipio; qui mihi examussim probi, & quasi lima ista Thynica perpoliti videntur. In ceteris, non quidē numerorum mensorem (iam enim Phaleucos esse cōstat) sed gemmarium probiorem desideres; qui Smaragdos Berillos, deniq. Margarita ista (Cilnianū genus sequor) meliore porrò politura, pristino nitori restituat tandem, me mangone & artifice ad istam faciem interpolatos atq. distinctos.

Lugens te (mea vita) nec smaragdos,
Berillos mihi Flacce, nec nitentes
Inter candida margarita quæro &c.

Berillos (ut vides) inter candida margarita enitentes, concinnaui, hoc est, unionibus exaluminatis alterno textu interpositis scintillantes. distinctionem eiuscemodi à Pliniano artificio mutuatus. Cuius hoc oculatum de Lolliæ Paulinæ ornatu testimonium libro IX. cap. XV. tanquam Tabulis publicis planè & probè consignatum exstat.

Lolliam Paulinam, quæ fuit Caij principis matrona, ne serio quidem ac solenni ceremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, vidi smaragdis margaritisq. opertam alterno textu fulgentibus toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisq. Cōmunē porrò cum smaragdis vim, efficaciamq. naturæ Berillos habere docet nos idem Naturalium rerū scriptor libro XXXVII.

 cap.

cap. v. nisi si quis fortè rescribendum censuerit potius:

Beryllos mihi(Flacce) nec nitentes,

Nec percandida margarita quero. Vel etiam *precandida*. Vtrumq. certè probabilius, multoque Cilnianæ sententiæ accommodatius, quàm quod doctis aliquot placuisse inuenio: *nec nitentes*

Nuper candida margarita, quero. Quæ scripturæ ratio haud magis verisimilis fit mihi, quàm Trachalioni Plautino Comicum illud commentum Gripi, de vidulo pisce. Correctionem verò nostrã verbis exornare quid attinet, ipsis etiam lapidibus illis (præfiscinè hoc scripserim) quibus versiculi Mæcenatici decenter variati, & quasi stellulis quibusdam distincti internitent, illustriorem clarioremq; ? Idem de immoderata & insana lubidine, quam in gemmarum ac lapillorum, præcipuè Beryllorum ostentatione habuit Mæcenas, dictum velim. de qua, quia multi ante nos dixere, prætereundum puto. simul, ne quis existimet, gloriam aliena virtute partam nos usu nostram facere velle. à qua scabie paratè semper cavi, ut ungues tenerem; hactenus quidem, quod sciam. idq; in posterum porrò mihi imperare decreui, ne Laurentium legi fraudẽ faciam; hoc est, ut ne quid alienum in armum tollam. neque illi qui faciunt, mihi placẽt; planè loquor. Vno proinde exemplo cõtentus Lectorem absoluam. quod mihi quidem, ex C. Pedonis Elegia, Virgilianis Catalectis falsò adstructa (qua ipsius Mæcenatis & Albinovano

illi & doctis omnib⁹ calamitosum funus ploratur) decerptū, huc non inscitè facere videtur. Sic enim de Beryllo Mæcenati (dum viveret) in deliciis habito, Poëta multo delicatissimus:

Vincit vulgares, vincit Beryllus arenas,
Littore in extremo quas simul unda movet.

Quod testimonium laudatum eo lubētius nobis, quo sententia imperfectior, minúsq; prioribus cohærens. Vnde suspicio est tum ante, tum etiam post distichon istud multa in Elegia illa desiderari: in quibus fortasse Mæcenatem defendebat Pedo, quòd immodico gemmarum amore flagraret, præsertim Beryllorum, sicuti ostendimus anteà, in aureo illo, ne dicā gemmato Mæcenatis Epigrāmate. de quo etiam illud iam videor didicisse; purorum annulorum, hoc est, ex auro, argentóve mero, & solido constantium polituram, nulla interposita gemma, Bithynis inventoribus deberi. unde & nomen, si quid Isidoro credimus. Neque adeò mirum. natio enim illa mechanica tota, atq. industriosissimè persequi solita eas artes, quæ ingenio non minus quàm manu perficiuntur: non quidem auro argentóve in laminas attenuando modò, bracteolisq. limandis, sed verò ferri acie ac duriore etiam materia tractanda, atque inde utilibus parandis victum suum facillimè exercentes; neque cultrario minus, quàm annulario opere, insignes. Favet coniecturæ huic nostræ Fragmentū Varronianū, quod è Satyra γέροντι διδασκαλῶν producit Nonius. Sic enim inibi: *Noctu cultro coquinari*

nari se traiecit: nondū enim inventi erāt cultelli empestati (*importati* emendabat doctissimus Lipsius) *e Bithynia*. Neq. aliò referūdum id quod Carminum libro III. Oda VII. Asteriē, de viri sui ad Bithyniēsem mercatum profecti, diutina absentia mæstam, consolans scribit Horatius:

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Fauonij,
Thyna merce beatum,
Constanti iuvenem fide

Gygen? quàm ad mercimonia eiusmodi annellorum & cultellorū, quos dixi, è Bithynia quotannis mari illo longo & magno in Italiam transvectari solita, nisi si quis de Lecticis fortè, indidē, ubi natæ & inventæ, navali porro Gygis opera ac vectura Romam transportandis, Horatianam hāc Mercem accipi oportere existimet. Vel etiam tertium illud Fungorum genus intelligēdum persuadeat sibi, cum Suillo nomine: cuiusmodi probè anteà desiccatum, atq. ita iunco transfixum è Bithynis Romam usq. trans mare venum mitti cōsuesse, obseruasse videor in Plinio. Quibus tamen suspicionibus nostris si subscribam, fungus sim ipse. Vt ut est, omnino nec novorum, nec veterū commentis suffragari possum; qui quasi in velabro olearij rem de compacto gerentes, omnes uno ore pariter de Pseudoporphyrionis sentētia, *Thynam Mercem*, Ponticam, interpretantur; eo quod Thyni Ponto cōfines. multo minus illis, qui *Merci* nomine Bithynā seruitia significari. (quæ Delum allat-

allata in maxima copia venũdari solere notat Strabo) fidem nobis facere conantur: contrà promercalis disciplinæ morem, & (quæ ratio maxima est) Latinæ elegantiæ Leges; quibus seriò hercule & severè iam inde ab antiquo cautum, ne Mercaturæ nomine venalium, hoc est, mancipiorum greges censerentur. Quid? quod Mangonium vbique a Mercatura, & Venalitios (quod genus vrbanè Cappadocum Reges indigitat Flaccus) à Mercatoribus discretos dispretosq. videmus. Cuius Legis ratio Poëtæ huic nostro ita temere migranda non fuit, haud magis utiq;, quàm Plauto utrumque genus ita distinguenti in Trinummo:

Mercaturámne, an venales habuit, vbi rem perdidit?

Ad Bithynum, hoc est annularium & cultrarium quæstum etiam vide, an aptari possit, quod in Epistolis scribitur:

Caue, ne portus occupet alter:
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas.

CAPVT II.

Loca aliquot Horatij ab illustris cuiusdam viri criminatione defensa. Insignis tenui fronte. Ceruix rosea. Quæsitis patiens.

MVLTA sunt in veterum scriptis, quę ex illorum potius quàm nostra vel cõsuetudine, vel opinione pendent. Quarum duarum rerum ignoratio, ingeniis etiam Lynceis glaucomam interdũ ob oculos obiicit, quò minus verum dispicere

queant. Sicuti magni cuidã nominis viro euenit; qui Lycoridem Horatianam placere negat sibi. idque epitheti vitio, quod puellæ eius fronti à Poëta laudatore tribuitur. Summa accusationis hæc est; neq. ad decorem, neq. ad venustatem facere tenuem frontem. Quam ego sententiam eius non inscitã (quis enim de tali viro hoc dicere ausit?) sed alienam prorsus ab antiquitatis ratione existimo. ad quam etiam hoc omne, quicquid est controuersiæ, cupio referri. & quidem multo potius, quàm ad nuperos & nouitios istos præpostere elegantes formarum spectatores; qui omnia ad ætatis suæ morem quasi regulam exigunt; neque cogitant multa antiquitùs vitio data, quæ nunc mutatis rerum temporibus auidissimè appetũtur, laudique etiam ducuntur. contrà alia in opprobriũ versa, quæ singulari apud illos gratia, summisque laudibus floruerũt. Quo in numero etiam tenuis iste quem dico frontis modus censeri potest; cuius adeò Horatiũ nõ puduit, vt etiã hoc ipsum in eximia pulchritudinis laude posuerit: nec alia magis re insignem prædicauerit Lycorim suam. quem veteres Interpretes secuti, *tenuem frontem*, angustam & pauxillam interpretantur, sicuti pulchræ habere consueuerunt. Frons enim minor (teste Porphyrione) pulchriorem reddit mulierem. Pulchrè quidem illi, & longè Antiflacco nostro scitius: ceterum (ut Iureconsulti loquuntur) nihil allegant. quod ne & mihi hoc loco aliquis obiectare possit, alterum eiusdem Horatij

ratij exemplum quasi succedaneum dabo. Id est huiusmodi: —— *Reddes* 317

Forte latus nigros angusta fronte capillos.

Cui succinit & Silius versu illo:

Et castigatæ collecta modestia frontis.

Id est, concinna quædam breuitas, ac mediocritas frontis. quæ quanto apud veteres heröas illos honore fuerit, hinc existimari licet. Nam quid ego aut Petronium, aut Martialem commemorem? quorum alter, *Frontem modicam, & quæ radices capillorũ retro sparserat*, in Circe sua admiratur: alter verò puerum, cui præter alias formæ dotes, etiã *Frons breuis, atq. modus breuiter sit naribus vncis*, locari sibi in votis ponit. At video hic mihi statim obiectum iri, modicam & angustam frontem, uti & cætera omnia naturæ bonum esse, neque cuiuis homini concessam. quæ mihi planè confiteri libet. Quid ergo (dicent) hac parte destitutis fiebat? Solæ ne amabilitatis expertes erãt? iisq; frontis amplitudo obstabat, quò minus formosæ videri, virisque complacere possent? Mane; istuc ibã: Siquidem huic generi nunquam defuit ars sua, qua naturam ipsam interpolare, vitiumq; illud, sicut cetera pleraq. ex parte sua callidè emendare possent. Testatur id abundè festiuissimus ille leporum ac facetiarum pater Lucianus his verbis: Καὶ περίεργοι μὲν αἱ μέχρι τῶν ὀφρύων ἐφελκυσμέναι κόμαι βραχὺ τῷ μετώπῳ μεταίχμιον ἀφιᾶσι. Vnde liquidò apparet, eas, quibus latior aliquanto & spatiosior modus frontis obtigerat, hoc remedio usas, vt cri-

nes à vertice collectos ad supercilia usq; adducerent, atque eiuscemodi adminiculo arctiorem sibi & breuiorem frontem concinnarent. Quò etiam referendus locus ille Senecæ, vbi de breuitate vitę agitans, mollitiem, luxum, ambitiosissimasque seculi sui delicias nō minus castigat graviter, quàm argutè perstringit.

Quid illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succreuit, dum de singulis capillis in consiliū itur, dum aut disiecta coma restituitur, aut deficiens hinc atq. illinc in frontem compellitur?

Hinc atq. illinc; id est, uti ego ex Luciano interpretor, utrinq. à temporibus, seu potius utraque aurium parte ad supercilia usque collecta adducitur. qua ratione fiebat ut breue admodum interstitium fronti relinqueretur: cōtra morem ac sententiam Venerum nostrarum; quibus in hoc vnū cura omnis consumitur, ut frontem quàm latissimè diductam amatorculis suis exhibeant: depilando assiduè sincipur, ac capronas volsellis expūgendo, exstirpandoq. radicitus; quoad usq. ita se glabras ac leues reddiderint quàm enim sunt oves, quum scabie terantur. Atque hæc ad Insignem tenui fronte Lycorida annotasse sufficiat. nunc ad Telephum veniamus, cui Ceruix rosea, tribuitur à Poëta. Quo epitheto colorem quoq. indicari suspicatur idem ille, quem dico, vir doctissimus: ideoq; Lydiæ amatori non convenire; sed Lacteā. persuasus opinor, *Roseum*, vbique pro rubro accipi oportere.

oportere. quod non credo, quippe qui sciam varia passim rosarum genera existere; & vbiq. ferè terrarum tam albas quàm rubras, hoc est, bicolores prouenire atque erumpere videam. nisi quis fortè collum istud Roseum, læue, floridum ac splendēs, & quod Græci ἀγλαὸν reddunt, interpretari mavelit. quomodo idem alibi *Olores* induxit *purpureos*. Fuit olim tempus cùm Fruterij mei auctoritate permotus, longè ab his diuersam opinionem sectarer; censeremque, Roseam cervicem, aliud nihil esse, quàm strophiis, hoc est fertis redimitam: ut respexerit Poëta Lyricus ad corollarũ eius seculi in conuiuiis luxum; quibus non modò vina & calices coronare mos erat, verum etiam capita, colla, ipsosq. adeo humeros discumbentium. cui rei argumento est illud ex IV. Lucretij libro:

Tum caput, atq. humeros plexis redimire corollis
Floribus, & foliis lasciuia læta iubebat.

Quò spectat etiam Tibulli illud:

Et capite & collo mollia serta gerat.

Iam verò ad brachia eiusdem Telephi quod attinet, quis-nam ita Thamyras quæso, vt non videat epithetũ istud, *Cerea*, idē quod mollia, flexibilia, atq. in morem ceræ, digitorum pressantium attactu subsidentia, significare? indicio certè est illud, ipsius inquam Horatij, ne quæram foris: *Cereus in vitium flecti.* nisi si cui potius Porphyrionis sententiam sequi consilium est, & *Brachia cerea*; tereria atq. ut è cera efficta putes, interpretari. cui affine, quod nos patrio sermone enunciamus:

Ost uyt een was gedraeyt waer/ partem aliquã corporis solidam, teretem, & quasi ad Phidiacum unguem, hoc est, ex amussim fabreque oppidò politam circumloqui volentes. Nam quod noster ille hoc loco de colore cereo Poëtã agere captiosè criminatur; in exemplum, *Cerea* Virgilij *pruna* adducens; id verò prorsus mihi omnis coloris expers videtur, minimeque dignum, quod à tanto viro vel dicis causa cogitatum; nedũ feriò aduersum putetur. Sed quoniam nos Telephi huius locus admonuit, idoneum visum est, alterum Horatij ad eundem pertinens exemplum huic capiti assuere, Phyllidi, hoc est, novissimis amoribus suis inscriptum. Neq. enim posthac eadẽ fortasse futura est occasio: & Dionysius Lambinus optimè ac diligẽtissimè omnium, qui in Horatium scripsere, commẽtatus, Poëtæ hoc loco sententiã haud satis mihi assequutus videtur. Quod ut strictim expediam, prius dico omnibus, animo meo haud quaquam satisfacere secundi versiculi interpretamentum: quod in Pseudacronis verba quasi coniurati non Lambinus modò, sed verò & priores, quãtum fuit, & posteriores quoq. interpretes amplexi. Nam quanti obsecro est illud: *Telephus quem tu amas & expetis, in puella tibi valde dissimili loco, re, genere, (hoc est, non professionis meretriciæ aut de levitate togata, quemadmodum tu, verùm & diuite, & nobili) amorẽ suum collocauit, eiúsq. amore irretitus est.* Ego certè *Sortem istam* cum dictione proximè sequenti, puta τοῦ *iuuenem* copulari verius censeo, diuerso

intellectu;

 319

intellectu; ut ad Telephum scilicet, non autem ad puellam, Telepho in amoribus habitam, referatur; hac cōstructione: *Telephū iuuenem non tuæ sortis, hoc est, non tui ordinis aut loci; eoq; disparem amatorem tibi occupauit puella diues, ac fortunæ eius conuenientior*. Et mirum nî hæc Chloë fuerit illa cuius superiore libro mentio, Oda XIX. ipsi Telepho inscripta, his verbis:

Spissa te nitidum coma,
Puro te similem, Telephe, Vespero
Tempestiua petit Chloë.

Iam quod ab eodem subiungitur,

Tenetq; grata compede vinctum;

consentaneum illi, *Grata detinuit compede Myrtale*. Sed nos hoc caput candidum ad calcem ducamus: Lyricisq. relictis ad primæ eiusdem Satyræ locum paratè aliquādo progrediamur: vbi paruulæ magni laboris formicæ exemplum proponitur:

Quæ, simul inuersum contristat aquarius annum,
Non usquam prorepit; & illis utitur antè
Quæsitis patiens. Quid simplicius, aut apertius? Et tamen is ipsus, quem dixisse me sentio, de hoc loco agens, Horatium etiam supra Satyram ampullatum ausus est scribere. Sanè quas ampullas dicat nescio. nam neq. Tragicis metaphoris, neq. verbis sesquipedalibus uspiam in his versibus usum conuincere potest; &, si sonum numerorū spectes, nihil suauius. Quærit deinde, quid sit, *Patiens*? concluditq. ad extremum totum tempus illud, quo paratis & quæsitis utitur, nihil pati formicam.

micàm .non igitur patientem, ſed genialiter gaudentem à Poëta induci debuiſſe: Quæ magni viri manifeſta calumnia Lambino & noſtris occaſionem præbuiſſe videtur locum peruertendi, & pro *Patiens, Sapiens* nobis (ſi Dîs placet) obiectandi. quàm ſapienter, aut probè, ſapientiores arbitrabuntur. Ego certè patiundum nō puto, ut *Patiens* iſtud *Sapienti*, de loco decedat; in perſona formicæ præſertim; quam Horatius refert, per æſtatem conditis, ac repoſitis alimentis hyeme demum uti; vitamq. ante partis oblectare; non ſapientem, ut vult Lambinus; (alioqui enim fruſtra antea *haud ignaram, ac non incautam futuri*, prædicaſſet; idē cum *Sapiente* ſignificantia) verum ex receptæ lectionis ſentētia, *Patientem*, hoc eſt, parcam, frugalem, continentem, ſeu potius contentam quę ſitis. quomodò idem Satyra VI. Libro II.

Quid te iuvat (inquit) amice,

Prærupti nemoris patientem viuere dorſo? Vnde radices nō dico egiſſe, ſed tamen egiſſe videri poſſe vernaculū illud noſtrū: **Hy ſpdtſich met tgunt t hem God verleent heeft.** quoties indicare volumus quempiā ſorte ſua lætū ac contentū vivere.

CAPVT III.

Oculi irretorti explicatio apud eandem.

QVOD Satyrographorum princeps, monet: *Non ſemper vulgus rectum videt, eſt ubi peccat*: id quāto verius in huius ſeculi Obſeruationum Scriptores

res iaci potest? quorum tanta est inter se discrepantia, ac varietas, ut in illos potius, quàm in Advocatos Agarastoclis conuenire arbitrer Plautinum illud;

Hodie iuris doctiores non sunt qui lites creant, Quàm sunt hi, qui si nihil est litium lites serunt: Quibus aliud nihil consequuntur, quàm ut Lectorem ex incerto incertiorem dimittant. Quamquam aliis alia licentia est. Qui mediocri & ingenio, & iudicio præditi aliquid in commune adferunt, si quid fortè ignorantia deliquere, paucos errori suo fundos, hoc est, suffragatores inveniunt. fama, atq. industria eorum pares sunt. eò fit, ut ab hoc genere rarò aliquis decipiatur. Qui verò scientiæ gloria clari, gratiáq. pollētes cluunt, opinione magis, quàm rei veritate subnixi, quasi regnū quoddam in hac literaria provincia nostra usurpantes, verá ne an falsa dicant, parum interdum pensi habent, dummodò id, quod lubeat, dicant, ceterosq; in suam sententiam perducāt. Nec magni negotij est persuadere volentibus. facile fidem inveniunt etiam a peritissimis, quippe qui sciant, capitale esse, aliter atq. αὐτὸς ἔφα sentire. Ita summæ eruditioni hoc fere adiunctum est mali, ut ipsi primitus errantes, alios etiam de suis verbis (in quæ plerique iam iurasse videntur) omnes porrò errare; pariterque in diuersum secum à vero & recto præcipites ire cogant: *Sicut grex totus in agris Vnius scabie cadit, & porrigine porci*. Hanc ego de me coniecturam facio, quem non semel huiusmodi Heroum commentationes

tationes dolosa specie in transennam duxerunt; quas postea ad veri investigationẽ cõversus reapse falsas fuisse deprehendi. Quæ causa fuit tandem, ut de fide corundem non nihil addubitare occœperim, meq; adeò ipsum stultitiæ damnare, quod illis (cum Lucretio dicam) plus viderem tribuisse, quàm par est concedere mortalibus. De Lambino & Turnebo loquor, quos etiã, proinde ac nos, homines fuisse, ideoq; ue interdum hallucinari, atque à vera ratione labi potuisse; hoc, uti spero, exemplo peruincam. Scribit Horatius lib. 11. Oda 11.

Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat aceruos. Quibus ve bis Lambinus eum significari cõtendit, quicumque oculos animi sanos & integros & validos habet, ita ut non reflectantur auri splendore, vel cuius animi acies nõ vincitur auri fulgore sibi obiecto. Idem ferè sonare videtur expositio Turnebi: excepto, quòd ille quædam etiam de opinione adducit, cuiusmodi sunt ista: Eum qui pecuniæ auidus est, ad eius aceruos subinde retorquere oculos, ac pæne strabum effici, nec sic ab ea auelli posse, quin oculos identidem reflectat, vt eam respiciat; magnæ auiditatis argumento. Quod ut nobis persuadeat, addit insuper de suo, Veteres olim eos, qui alicuius rei nimia cupiditate tenebãtur, *strabos fieri*, dixisse. quod ego (more Plautino dicam) neq; fictum, neq. pictum, neq. scriptũ in poëmatis usquam memini legere: mirórq. vbinã vir, oculatus adeò, oculos habuerit, mentis nõ corporis dico, cũ huiusmodi commentaretur.

taretur. Nam quod idem Varronis & Lucilij testimonijs hoc ipsum præstare se posse arbitratur, hoc verò quid aliud est, quàm ipsummet gladiū mihi in manus dare, quî se iugulem? Sed præstat exempla ipsa in medium protrahere. Ait itaque Varro (flextabulis *περὶ ἐπαρχιῶν*) *Multi enim, qui limina intrarunt (lego, intrarant) integris oculis, strabones facti sunt. Habet enim quiddam ἑλκυστικὸν provincialis formosula uxor*. Lucilius verò seipsum interpretatur, quum, *Inuidere*, præcedere facit. nam de auaritia verbum nullum. Locus ita se habet:

Nulli me inuidere, non strabonem fieri delicijs me istorum.

Strabonem fieri, id est, inuidum: oculorum enim distortio iure optimo invidis tribuitur, non item auaris (ut vult Turnebus.) Id quod clariùs liquet ex scitula illa & graphica Inuidiæ descriptione apud Ouidium. atq; huc allusum ab Horatio nostro in Epistolis, cùm scribit:

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat. Vides, ut omnia inter se cōcorditer congruant, vociferenturq; pariter; *Oculo irretorto spectare*, aliud nihil hoc loco significare, quàm, oculo recto & integro, non prauo, nec strabonū in morem, atq; (ut paucis multa simul complectar) sine invidia & sine dolore spectare. Hoc propterea istuc visum est addere, quòd qui aliquid, quod nolint, vident, quiq; præ inuidia strabi idētidem redduntur, ijs etiā, oculos dolere antiquitùs dictitatum sciam. Quod ne alicui porrò & hanc dissertatione

tionem nostram lecturo eueniat, cauto est opus. Nam (ut inquit ille) *Inuidiam quod habet, non solet esse diu.* Itaque finem hîc faciam.

Caput IV.

Horatij loci duo explicit, alter etiam emendatur.

Inter tam multa, tamque varia potorum genera, quibus regio hæc nostra cum primis obnoxia est, nullos iniquiores esse, nec minus bono cũ iure, satis acceptum est mihi; quàm Tricongiales Modimperatores istos, quibus parum videtur ad imum usq. gutturem (Plautissare me scito) semetipsos vino ingurgitare, nisi & aliis insuper hãc incommoditatem obijciant, ut quantum ipsis exantlare visum fuerit, tantundem etiam illi cui propinarunt, adfundi atq. admetiri iubeant: eumque tam diu vi, violentia, ac vinolentia sua propellant, donec omne quod infuerat, unà pariter cum fece exsiccaverit; fundum canthari inversum toti coronæ repræsentans; haud aliter, atque olim pueri solent, cùm dictata præceptori reddunt in schola. Atque ego-met adeo me cum ceteris popularibus meis vnà ibidem traho, qui istiusmodi hominibus ut placeant (Dij boni) quę non carchesia, quos non culullos amystide obducunt? Quamquam hanc crapulariam operam cognatis, affinibus, amicis, clientibus, ciuibus denique suis denegare quis ausit, nisi qui eosdem inimicos, & quidem capitales, capere sustineat sibi? quod quidem mihi facere religio

religio sanè multo est maxima; qui, vt homines sunt, ita porrò morem gerere animum induxi meũ. Quid enim? fugiendi fortasse huiusmodi incommoditates voluntas est nobis, facultas non item: haud magis, quàm Basiatorum occursus apud Celtiberum Poëtam: quorum ingratas, adeóque intempestiuas osculationes eodem prorsus loco habeo, quo pomeridianas symbolas istas & postcænia nostratium. quibus hoc demum consequuntur, ut odiosi potius, quàm officiosi amicis fuisse inveniantur. At quinam, obsecro, sunt isti? Homines Bacchicis magis, quàm Musicis sacris initiati, strennui quidem bellatores illi, sed cantharo, & bibendi gloria potissimum; eoque fastidientis stomachi semper, atq. escæ minimæ: nec enim quod in ventrem, sed quod in vesicam eat, carum æstimant, liquidissimum inquam, illum Liberi florem; quo se, suosq;, & aliorũ pantices ita madefaciunt, ut nunquam nisi distenti sufflatiq; è tricliniis excedant; auferantur volui dicere. quos mehercle iam pridem elatos oportebat. Hoc enim satius fore duco; quàm ita miserè vino deponi, atq. in soporem vinos, an mortuos? mortuã certè vitã viventes collocari quotidie. Atque hæc cùm ita sint, eidem tamen illi, quos dico, ebriositati suæ candoris & innocentiæ velum obtendere audent; quasi à proditione omni, malitiáque præ ceteris remotissimi; quæ non ignota seculo nostro mala, haud temere in sui ordinis homines, puta in Pholos, ac Tricongios cadere posse iactitãt, ideóq;

societatis & beneuolentiæ augendæ magis, quàm sitis sedandæ gratia hilarescendum, vinoq; ætatẽ impensius irrigandam; quò apertiores videamur scilicet; cũctasque à nobis perfidiæ suspiciones segregemus quàm longissimè: invidiam temulenti nominis speciosa circuitione emollientes. Quasi verò & integritatis & amicitiæ vis omnis in vino & poculis modò, ac non potius in mutua animorum consensione, aptaque morum ac voluntatum similitudine consistat? vnde fit, ut sæpe etiam inviti, atq. ingratiis nostris ad vinum accedere subigamur. idque ad præscriptum eorum, quibus, tota ætate per temulentiam transacta, pergræcari iam consuetudine in naturam vertit. Quæ singula mecum, & cum animo meo quoties attentius accuratiusq; considero, tum verò diuersa sequẽtes fortunatos prædicare, atq. aliquò ad Musas in hospitium diuorti me iuuat, Horatianum illud subinde exclamantem:

O rus, quando ego te aspiciam, quandoq; licebit
Nunc veterum libris, nũc somno & inertibus horis,
Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ?

O noctes, cœnæq; Deûm, &c. in quibus illud ego in primis lepidum & liberale duco, quòd, nõ more nostro, neq. in leges propinatoris, sed *ut cuique lubido est,*

Siccat inæquales calices conviva, solutus
Legibus insanis; seu quis capit acria fortis
Pocula, sed modicis, humescit letius. ergo
Sermo oritur; non de villis. &c.

Sed

Sed quoniam nos huius loci res admonuit, idoneum visum est, paucis, de eo quid sentiam, exponere. Quod summatim ut faciam, prius dico omnibus, haud quaquam satisfacere explicationi meæ, *capit*, illud: sed pro eo, *cupit*, rescribendum videri. Etenim, *Acria*, in hac cœna, non acris vini pocula, verùm ampla atque ingentia interpretor: quomodo idẽ alibi *Acres potores* induci. Neq. dissentit Lambinus. His enim mox *Modica* opponũtur. quibus aliquem cùm lætius humescere dicit, non illud credo significare volt Poëta, aliquem lętius aut hilarius minutis poculis & quasi pitissando sensim inebriari, seu madescere: verùm potius: Seu quis modicis irrigatur, uvescitq; lubentius: hoc enim, *lætius*, est. Sensus itaque erit: Seu quis magna & capacia pocula poscit sibi, seu potius minutis & rorantibus cyathis exhilarari, amœnitatemq. interibi (uti apud Plautum est) in ioco & vino accubãs exercere mavolt. Sed &, *Ergo*, quod ordine deinceps sequitur, alio significatu, quàm volgò solet, dictum accipio: credoq; pro *Deinde, posteà* positũ hoc loco. quomodo etiam τὸ *igitur*, usa Latinitas vetus. Sed de his satis superque: ad alia porrò convortamur; non dico, ad sympofia & cœnas denuò, unde me semel pedem fugitiuum tulisse est satis: verùm potius ad amœniorẽ aliquem eiusdem Horatij secessum: cuiusmodi est ille:

Non ebur, neq. aureum
Mea renidet in domo lacunar. In cuius Odæ enarratione

enarratione gratulor mihi post tot Commẽtatores relictum esse, de quo eius Poëtæ studiosis gratiam facere & velim & possim. quod tamen non mihi, sed ipsi Horatio, cuius res agitur, acceptum postulo referri. Id est huiusmodi:

Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ.

Hoc est, (uti ego exponendum ariolor) pulcræ & formosæ. Atque hanc coniecturam de altero eiusdẽ loco ex Satyra II. primoris libri facere posse videor, ne quæram foris. Quam quidem ego scriptores veteres interpretandi rationem multo optimam & certissimam semper esse iudicaui, atq. etiam nunc iudico. Sed verba ipsa adscribam optimum est.

Adde huc, quod mercem sine fucis gestat, apertè
Quod venale habet, ostendit: nec, si quid honestum est,
Iactat, habetq; palam; quærit quo turpia celet.

Honestum, id est, pulchrum, uti dictum est supra; diuersum à turpi, quod sequitur. Cui consentanea est etiam Comica illa loquutio: *Honesta facies & liberalis.*

CAPVT V.

Latentes oræ quæ sint apud Horatium.

HORATIVS Flaccus Libro I. Oda XVII. de Cleopatra Aegypti Regina, virilis audaciæ femina, agens; quoniam, re malè apud Actium gesta, ab Augusto victa discesserat; narrat illã generosè

potius

potius vitam ponere præoptasse, quàm in triumphum à victore captiuam deduci, atque interim alienæ superbiæ ludibrio esse: ideoq; (quæ illius magnanimitas fuit)

Nec muliebriter
Expauit ensem, nec latentes
Classe cita reparauit oras.

Verè inquam latentes: quippe quæ tanto iam tempore Interpretes nostros latuere. quorum pars magna Porphyrionis sententiam, nonnulli auctoritatem Acronis laudasse, alij nescio quam ex Figuris Grammaticis Hypallagen nobis ob oculos adduxisse, quasi pro munimento habent. Digni meo iudicio utique, quorum glossæ in extremas & latentes Ægypti oras deportentur, quæ quidem sint ad istam faciem. quas ego omnes, cuiuscunque modi videntur, tam nihili esse duco, quàm quod de Codri nullitate Iuvenalis. Quin ergo, dicet aliquis, tuam nobis, melior quę sit, opinionem aliquando expromis? Imo verò hoc ago, atque in eo sum totus, quò videlicet, *Oras istas latentes*, in oras luminis, atque in apricum, quantum potest, educam. neque me puto quemquam frustraturũ. Igitur eas intelligo, non partes remotas, & abditas regiones Aegypti, ubi vel in occulto latitare; vel novum exercitum advorsus Cæsarem argento facere, regijs opibus suis confisa, de integro possee

Cleopatra: sed neq. cum Cantero nostro orationē inversa vice prolatam esse, animus induci potest. Quid ergo? Ipsissimam Aegyptum, quam recuperare, præsidijsque in tempore, uti oportebat, firmare, Antonij luxu & amoribus, quasi tenaci cœno immersa, ac præpedita neglexit; & quidem totam, non verò partes aliquas penetrales, vel etiam limites eius significari, persuasum est mihi. idque ipsius Ciceronis indicio, *Recondita* epithetū Aegypto assignantis haud semel, credo ab hac causa, quòd, ut prius Latium perfugium Saturno, ita & mox Aegyptus opportuna præ ceteris visa, quæ quasi asylum, hoc est, latibula, receptumq. tutum Iovi, Disque cæteris fugitiuis præberet: ubi deserto Olympo, felium, canum, crocodilorum, serpentium, pitheciorum specie personari atque occulti fallerent: tantisper saltem dum metus à Centimano Gya, & bellum grave cum Gigantibus positum esset, Titanicæq; consilescerent turbæ. vel, *Reconditam* dic, ob montium cęlo minātium perpetuos tractus, quibus, media, quasi in latebris suis sita, utrimque ab lateribus tecta includitur: quomodo & Latium dictū autumat Varro, quòd videlicet lateat Italia inter præcipitia Alpium & Apennini. Cæterum (ut quod res est fabuler) neutra harum cōiectura etiam satisfacio mihi. & profectò probabilius videtur ut à Nilo, Rege illo fluuiorum,

uiorum, hanc auctoritatem petamus. cuius fontes adeò obscuri, ne dicam, ignorabiles, usque adhuc quidem rerũ Naturæ exploratoribus habiti sunt semper; ut etiam veteri Prouerbio in novos homines dederint occasionem, unde & Fallacis cognomentum apud Martialem invenit. Scio absurdè dictum hoc derisores dicere. At ego aio rectè & poëticè in primis. Nam quî minus quæso *Oras latentes* pro Aegypto vsurpare liceat nobis, quàm *Nilotidas* seu *Niliacas oras* Martiali, quum vtreque pariter & hæ & illæ unum eundémq. Nilum suum agnoscant auctorem? qui & ipse non rarò per Synecdochen pro uniuersa Aegypto à Musarum Sacerdotibus ponitur. Neq. adeò immerito, utpote uber, & quasi sumen totius regionis, inibique ita probè coloni (ut Plinius loquitur) fungẽs vicem, ut illi potissimum Aegyptus debeat, quod communis olim orbis terrarum horrei appellationem adepta. Nam absq. annua rigatione fecundissimi eius fluminis foret; nec frumenta in illis locis granditi, beneq. euenire; nec legumina florere, aut ullo modo mitescere, in tanta aquæ cælestis penuria, possent, ut interim herbas ad rem cibariã utilissimas prætermittam: quarũ ita prodigè abũdãtẽ Aegyptũ perhibet Plinius, vt etiã frugũ subsidio destitutã vel huius solius rei copia modò vitam facilè tueri ac sustentare posse existimetur.

CAPVT VI.

Locorum aliquot conlationes. alia explicata. Domus exilis Plutonia. Comitem abnegare. Extructa diuitia. Platanus vidua.

MVLTOS incertos certare hâc rem vidimus, cur *Domus Plutonia exilis* indigitata Flacco. Eius scrupuli exiles porrò atq. inanes (cum Plauto loquor) Horatianæ lectionis studiosos ut faciam; *Exilem*, non quia ipsæ animæ exiles, hoc est, umbraticæ: vel quia inanis & vacua, secundum Virgilij illud, *Perque domos Ditis vacuas, & inania regna &c.* sed verò arctam & angustam frequenti animarum concursu redditam. Plutoniam domū interpretabor, haud exili sanè, neq. inani cōiectura ductus: ut videlicet insigni, nimisq; poëtica hyperbola significet Flaccus, per assiduas bellorū ciuilium cędes tam immanes aceruos, hoc est, tantas iam pridem accessiones factas mortuorum, ut metuendum sit, resq. periculo non careat, ut ipse tandem Acheruns, tametsi maximus & vastissimus capacitate sua, satis porrò futurus non sit morituro gregi, id est, umbraticæ turbæ recipiundæ. Qua auxesi etiam, quamquam in re diuersa, idem vsus posteà libro 3. oda 1.

Contracta pisces æquora sentiunt,
Iactis in altum molibus. &c.

Eleganter & venustè ab iniuria piscibus, præter naturam

naturam suā in arctū coactis, illata; in contumeliā porrò atq. invidiam ædificātium. Sed nos ad Plutoniam Horatij domum, illuc unde abijmus, convortamur. de cuius exilitate, hoc est, non inanijs, sed angustiis loci etiam Papinius:

Angustaq; Tartara pœnis

Qui regitis. &c. A superiori causa ludos quoque in cymbæ Charōticæ exilitate fecisse videtur Ovidius, ita suo more argutans:

Omnes exspectat avarus

Portitor, & turba vix satis una ratis. Innuens nimia mortuorum frequentia fieri, ut animæ in angustum redactæ inter se mutuo conflictentur, nec cymba vectorum sit capax. unde misellæ illæ in ripa subinde vorsoriam portitoris præstolari coguntur, nisi elidi se malint ab assidua confluētis turbæ multitudine pressatæ. Carminū lib. 1. Od.xv. Elegans porrò, Musicæq. pubi notandū illud dictionis genus, quo Paridi iuveniliter ob raptum Helenæ ferocienti exitium præsens, hoc est, certum, haud arbitrarium ominatur fatidicus Nereus:

Nequiquam Veneris præsidio ferox,
Pectes cæsariem, gratáque feminis
Imbelli cithara carmina divides.
Nequiquam thalamo graues
Hastas, & calami spicula Gnosij

Vitabis, strepitumq́; & celerem sequi
Aiacem. tamen, heu, serus adulteros
Crines puluere collines.

Atque huic germanũ illud, quod habes infrà, ubi eũdem ordinem obseruatũ vides lib. 2. od. 14.

Frustra cruento Marte carebimus,
Fractisq́; rauci fluctibus Hadriæ;
Frustra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.
Visendus ater flumine languido
Cocytus errans: &c. Nam & ibi, *metuemus*, pro, vitabimus, seu cauebimus, positum videtur.

Oda 35. *ad Fortunam.*

Te spes, & albo rara fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat.

Sic & Ovid. de raptu Sabinarum agens: *Si qua repugnabat nimium, comitemq́; negabat.* Vides enim Pronomen utrobiq; subaudiri.

Neq. illa phrasis silentio obliteranda libri II. Od III. *Et exstructis in altum.*

Diuitiis potietur heres. Nam aceruos & struices, non quidem patinarias, verùm argentarias intelligit, à voce *Struere*, prò *Augere* posita antiquitus; teste Pompeio. vnde & Persius doctissimè,

Rē struere exoptas cæso boue. Sed & Plautus noster Aulularia; ex persona sordidissimi Euclionis:

Neque pol Megadore mihi, neq. cuiquam pauperi

Opi-

Opinione melius res structa est domi.

Eiusdem porrò Odæ clausula vitio interpunctionis laborare videtur tam in Lambini, quàm aliis editionibus:

Omnium
Versatur urna: serius, ocyùs
Sors exitura. &c. Quum oratio sit continens, atq. vno tractu perpetim legẽda, medio colo inducto, ad hanc faciem:

Omnium
Versatur urna serius, ocyus,
Sors exitura. Vrna enim auferendi non nominandi casu posita hoc loco. Oda VI.

Et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis. Idem loquendi genus æmulatus & Papinius 2. Silvarum:

Et pralis non invidet uva Falernis.

Oda 15. *Platanusq; calebs*
Euincet vlmos. id est, sterilis, nec vitibus coniugata, ut ulmus. Ab eadem causa Martiali *Vidua* appellata, illo versu:

Viduaq; platano, tonsiliq; buxeto.

Quid verò esse autumem, quod sub eiusdem libri finem scribitur à vate nostro Biformi?

Non ego, quem vocas,
Dilecte Macenas, obibo. Neque enim di-

gnum videtur, iis uti assentiar, qui, *vocas*, istûd cũ sequentis versus initio, construẽdum hariolantur, ut sit ordo: O Mæcenas, ego non obibo, quẽ tu comiter oppidò & benedicè appellare solitus es, ô dilecte Horati: verùm potius, quod mihi aliâs in mentẽ venire memini, verbũ illud absolutè positũ esse, ut ad vocationes cœnaticas referatur, utque hoc dicat Horatius: Ego verò qui fortasse homo nouus, & sine gente plerisque nunc videor, & quẽ tu, ô dilecte Mæcenas, familiariter esum vocare, & assiduè mensa tua communicare cõsuevisti, nõ interibo, etiam si periero. Etenim domesticus Cilnio Equiti convictor Horatius noster. Idq. hoc ad ipsum Mæcenatẽ scripto disertè confirmat Octavianus Cæsar: *Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum: nunc occupatissimus & infirmus, Horatium nostrum te cupio adducere: Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, & nos in epistolis scribendis adiuvabit.* Sed planius Flaccus ipse lib. I. Sat. VI.

Quem rodunt omnes libertino patre natum:
Nunc quia Mæcenas tibi sum convictor, at olim
Quod mihi parêret Legio Romana Tribuno.

CAPVT

CAPVT VII.

Dextra rapax. Omne sacrum. Lares familiares. ijdem Dij Patrij, Penates, Penetrales ac Præstites dicti. Augusti numen permixtum Laribus. Increpare lyra. Vetus lectio asserta. Pontifex veneficij. Alia quædam.

LIBRO III. Oda III. Iunonē Romanis placatam, atq. eadē re in concilio Deorum verba faciētem inducit, videlicet, paratam se omnium præteritarum offensionum atque iniuriarum in perpetuum porrò obliuisci: nec obstare, quò minus in ordinem ac cœtum Divorum Romulus referatur, & Romanus Pop. quàm latissimè imperij sui fines ac pomœria extendant, hac lege tamen, vt à Troianæ urbis instauratione abstineant manum, neque per insolentiam rebus secundis feroces, ac præposterè pij rediviva Pergama de integro excitare conentur; frustra; etenim se suasque spes corrupturos. proinde consultius fore, ut Ilium, & *campos ubi Troia fuit*, pro derelicto habeant in posterum, ferro, non auro, vitam cum hostibus cernentes; multoque maiorem in contemtu, quàm studio pecuniæ confidentiam habentes; invicto aduorsus diuitias animo, cui hoc elogium ibidem ab Horatiana Iunone tribuitur:

Aurum irrepertum, & sic melius situm,

Cum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra.

Dextra, inquit, non Læua manu, quę Furtifica est, teste Plauto & Catullo. quum *Dextra* cõtrà, harpacem notet, & quæ nõ dissimulanter, nec furtim (Lauernæ ut solent) sed verò lucę clara, militarem in morem, hoc est iure belli per vim & propalam rapere audeat; etiam signata & sacra, eaque, quæ natura ipsa mortalium oculis invisa opertaq; esse voluit, sicuti & *Aurum* istud, ita probè sub terra in latebris situm, quod præ cæteris meritissimo hercule sacrum esse debebat, si quid tamen in rerum natura sacrum aut nefandum barbarorum auaritiæ esset. Quò etiam referendum Satyricũ illud:

—— & tamquam parcere sacris
Cogeris. Item: *—— nescius uti*
Compositis, metuensq; velut contingere sacrũ.

Sed planius etiam C. Pedo, quem Germanico navigãte exclamasse refert Seneca: *— aliena quid æquora remis, Et sacras violamus aquas, divumq; quietas Turbamus sedes?* Oda 4. *Qui perfidus se credidit hostibus.* Pœnos perfidiæ insimulat Regulus. Meritò. quorum sublesta fides frequenti experimento Romanis cognita occasionem ex re nato prouerbio dedit; *Fides Punica.*

Oda XXIII. *Cælo supinas si tuleris manus*
Nascente Luna, rustica Phidile,
Si thure placaris, & horna
Fruge Lares, auidâq; porca:
Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero graue tempus anno.

Quod exemplum longius productum nobis, ut vel hinc cuivis liqueat tãquam de plano, quonam sacrificiorum genere propitiari soliti Lares Familiares, quæ potissima vota concipi, quæque bona à medioxumis Dîs illis peti antiquitùs usitatum. quorum munus fuisse videtur, bonam mentẽ cultoribus suis largiri; & universa, quæ in familia erant sarta tecta, atq. incolumia præstare; nec domesticæ modò, verùm etiam agrariç rei curam gerere. cuiusmodi sunt illa solennibus verbis apud Catonem concepta; *Viduertatem, vastitudinemque calamitates, intemperiasq; morbos denique visos, invisosq; prohibere, defendere, averruncare,* & cætera de genere horum apud eundem Censoriũ lectu oppidò dignissima. quò etiam pertinebit Tibullianum illud libri I.

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa invẽcos;

Nunc

Nunc agna exigui est hostia parua soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet; Iô messes, & bona vina date.

Et sub eiusdem libri finem, sermone de ligneo, & paupere Lare iniecto:

Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sancta spicea serta coma.

Item quæ deinceps sequuntur usque ad Pentametrum illud:

Hostiaq; è plena mystica porcus hara. &c.

Quæ suilli generis immolatio, cum Horatiano sacrificio germanitus consentit, nec hîc modò, verũ etiam in Sermonibus postea, ubi legitur:

Immolet aquis
Hic porcum Laribus. &c.

Meminit & Plautus Rudente,

Atq; adornare, ut rem divinam faciam, cùm intrò advenero,
Laribus familiaribus, cùm auxerunt nostram familiam:
Sunt domi agni, & porci sacres.

Vnde erroris manifesti convincere est Lambinum ad Aulularíam Plautinam, pro comperto affirmãtem, nefas fuisse Laribus quicquam animatum immolari. Iam verò thuris, farris, molæ salsæ in focum impositione, primorum fructuum libamẽtis, coronarum impensa totam hanc Odam effer-

tam vides, cui ſuccinit Iuvenalis & ipſe Satyricus his verſibus:

O parui, noſtriq; Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui ſoleo exornare corona.

Sed clarius Plautus ex perſona ipſius Laris Prologi ornatu inducti:

Huic filia una eſt: ea mihi quotidiè
Aut thure, aut vino, aut aliquî ſemper ſupplicat.

Et eadem Fabula:

Nunc tuſculum emi, & has coronas floreas,
Ea imponentur in focum noſtro Lari.

Denique Trinummo:

Larem corona noſtrum decorari volo.
Vxor venerare, ut nobis hæc habitatio
Bona, fauſta, felix, fortunataq; eveniat. &c.

Vide & Catonem De re ruſtica cap. 143. ita præcipientem: *Villica focum purum, circumverſum quotidie, priuſquam cubitum eat, habeat. Kalendis, Idibus, Nonis, feſtus dies cùm erit, coronam in focũ indat: perq; eos dies Lari familiari pro copia ſupplicet.* De libatione autem in menſa ſecunda domeſticis Laribus fieri conſueta, ac vino pateris defuſo, planius etiã libr. 4. Oda 5. Auguſto Cæſari inſcripta, cui inter cetera præconia hanc etiam divinitatis opinionem tribuit Poëta: — *& alteris*

Te menſis adhibet Deum.
Te multa prece, te proſequitur mero

Defuſo

Defuso pateris, & Laribus tuum
Miscet numen, uti Græcia Castoris
Et magni memor Herculis.

Cuius sententiæ interpretatio, mirum, nî à Dione petenda, curiosè obseruante in multa copia honorum Augusti, etiam hoc decretum, ut per Genium eius vulgo iuraretur, & in conviviis omnibus libaretur pro capite & salute Principis. Eosdem quoq. pro Penatibus, hoc est, pro penetralibus, vel potius penuariis Dijs habitos, notius, quàm ut nostra demonstratione indigeat. & docuit iam anteà abunde Lambinus in Commentariis Horatianis, Epistola ad Mæcenatem VII. Illud verò haud perinde tritum, auri præsertim vernaculæ, Lares istos domesticos alio nomine *Deos Patrios* indigitatos antiquitùs, hoc est, non patriæ, urbisque custodes, verùm generis ac familiæ præsides, Præstitésque: & quorum per manus à patribus religionem traditam succidaneo iure accepimus. Virgilius: *Dij Patrij servate domum, servate nepotem.* pro quo Tibullus diceret: *Sed Patrij servate Lares.* Neque ita tamen expressè semper. testimonio sunt illa, de Maronianis (uti videtur) numeris adumbrata: *Dij Patrij purgamus agros purgamus agrestes: Vos mala de nostris pellite limitibus.* &c. Θεοὺς πατρῴους nominitant Græci. Odam porrò novissimam ita orditur Horatius:

Phœbus

Phœbus volentem prœlia me loqui,
Victas & urbes, increpuit lyra.

Rectè, neque enim ijs auscultandum censeo, qui post *increpuit*, notam distinctionis collocant: intelligentes Poëtam non quidem lyræ pulsæ sono increpitum, sed prœlia & captas urbes, hoc est, res gestas lyrico carmine describere conantem, obiurgatum ac castigatum à Phœbo. eo minus, quò genus loquendi istud alijs etiam Poëtis impensius video placuisse: ut vel Ouidio extremo Fastorum: *Annuit Alcides, increpuitq; lyra*: Et passim alibi compluries. Epodon Oda 12. Impudens & flagitiosa illa, quippe in re voluptatum iustissimi languoris exprobratio, ex persona vetulæ præter speciem, ætatémq. virosæ; hoc est, cum cano eugio (uti apud Laberium est) puellitatis, aduersus Poëtam & re & nomine Flaccum concepta:

Inachiam ter nocte potes; mihi semper ad unum
Mollis opus. Hoc est, ad unam telam detexendam modò, primumq; in perficæ Veneris stadio curriculum decurrendum, elumbis, enervis, expeculiatus, & quasi lorum in aqua; non quidem Inachiæ tuæ, cui ter nocte una in Cloacinæ sacro operari, Feriasque Sementinas rite peragere consuevisti: verùm miseræ mihi, in qua scalpēda primo statim pedatu, & quidem in ipsis carceribus, tāquam cantherius in porta, fastidiosè ad languorem

rem datus concidere, ac detumescere videris, auriculis demissis, — *ut iniqua sortis asellus,*

Cùm grauius dorso subijt onus.

Eadem argutia in Milesiaco illo Martialis Epigrammate compareт, huic prorsus gemino:

Vna nocte quater possum: sed quatuor annis

Si possim, peream, te Thelesina semel:

significantis una nocte quater posse officiosum se esse alteri alicui, quę quidē Inachiæ huic Horatianæ sit similis, nempè puellæ & amari dignæ: sed Thelesinæ, vetulæ ac deformi, ne semel quidem annis totidem.

Oda 16. *Eamus omnis execrata civitas.*

Rectè oppidò, & poëticè, quomodo idem etiam locutus suprà:

Non semel dicemus, Iô triumphe,

Ciuitas omnis, dabimúsq. Diuis

Thura benignis.

Quò magis miror curiosam eorū hominum infelicitatē, qui in scirpo nodum quærentes, *Omnes* hunc in locum obducere nobis, merisque ac puris Iambis pro recto pravum talum inculcare veriti non sunt. Habes ibidem:

Non huc Sidonij torserunt cornua nautæ.

Ad quam classem etiam pertinent Leptitani oppidi conditores, de quibus ita Sallustius noster: *Leptis oppidum ab Sidoniis conditum est, quos acce-*

pimus

pimus profugos ob discordias ciuiles navibus in eos locos venisse. Oda ultima:

Et Esquilini Pontifex venefici:

pro arbitro positum accipio, eoque, qui quasi Pōtificatum sine suffragio Populi gerens, ius ipsius sumit sibi de diuinis humanisq. rebus, veneficiis certè statuendi. Atque hinc Plautini illius conuicij interpretamētum videor extricare posse, quod ex persona periuri Lenonis habes in Rudente;

Lubet iurare. tún' meo Pontifex periurio es?

CAPVT IIX.

Horatius aliquammultis locis explicatus, partim illustratus aut correctus. Nares horum hominū. Ab auaritia laborat. Suave locus voci resonat conclusus. Malè viuere. Præbere ligna. Honestè fascibus. Lecto & Scripto, frequentatiua nō esse.

VT publicis olim Lustris etiam nomina victimas ducentium prospera legi Romanæ religionis antiquitus erat, itidem & mihi hoc Caput à bonis nominibus decretum est auspicari. Dicam de Fausta Fausti Sullæ filia; & confidentia est, me feliciore euentu à coā, & virosa illa discessurum, quàm Villium adulterum, cuius ita Sat. 2. lib. 1. meminit Horatius noster:

Villius in Fausta Sullæ gener, hoc miser uno Nomine deceptus, &c. Nomine scilicet Faustæ, quam

stæ, quam faustam sibi eventuram hariolabatur, prosperi nominis omine blanditus sibi, credulitate amantibus non insolita. Id quod à nemine etiamnum animadversum demiror, dum pars ad gloriosam Villio Sullanæ adfinitatis cõiunctionem, alij ad nobilitatem matronæ, præter stolati pudoris dignitatem mœchissantis, blandimentum istud Sullani nominis referundum autumant. Habes ibidem:

——— leporem venator vt alta
In nive sectatur, positum sic tangere nolit:
Cãtat, & apponit: Meus est amor huic similis, qui
Transvolat in medio posita, & fugientia captat.

Inter tot dissentiẽtes, vel pugnantes potius sollertissimorum Interpretum sententias, nullam equidem impensius probo, quàm quæ ab sagacissimo harum rerum iñvestigatore Turnebo profecta: indidémque in Adversaria relata lib. XI. cap. XXIII. legitur huiusmodi:

Amator (inquit) cantat, ut venator sectetur in nive lubenter leporem, sic appositum in ferculo nolit tãgere: & mox addit (hoc enim est, *Apponit*) suum amorem esse similem. &c. *Sectetur* autem, non *Sectatur*, legendum, quod & veteribus credimus libris & Grammaticorum rationi ita flagitãti assentimur: Atque hoc est quod in re simili cantat nobis unicus ille lepôrum magis, quàm leporum

sectator

sectator Ovidius:

Venator sequitur fugientia, capta relinquit.
Semper & inventis ulteriora petit.

More enim fieri, & quotidiano usu euenire videmus, vt venatoribus assiduis leporinæ fastidium, frequenti eius obsonij esu, oboriatur: ridiculam etiamnum hodie gloriolam quandam ex malacia illa Diania aucupantibus, atque eo nomine triũphantibus potissimum, quòd ita in venandi studio dediti sint toti, ut oculos spectaculo potius, quàm ventrem obsonio pascere malint: dum leporem per altas nives, salebras, scruposq́;, & asperrima quæq. fugientem, canesq́; infestos tortuosissimis vorsuris eluctantem atq. eludentem, vestigijs persequi, & indefessis curriculis fatigare, atque ad lãguorem dare sine intervallo aut tædio ullo capiũtur: ad quem percoctum probè, atque ultrò sibi in mensa & lancibus adpositum peræquè nauseent, ac fastidiãt, quàm si pica in cavea mortua (ut apud Martialem est) in cibum sibi exhibita foret. Ita enim τὸ *Positum*, interpretari malo, quàm in latibulo, aut cubili suo delitescentem. Sed neque satisfacit nobis docti cuiusdam viri opinio, qui verba Horatij non ad amatorem, sed venatorẽ referunda existimat: ut ordo & sententia hæc sit: Venator cantat. i. buccinæ cantu signum facit ad leporis insectationem, quem deinde captum adponit sibi,

fruiturq. iucundè ac lubenter: neq. hercule mirũ, quippe ex venatura, milvinam stomacho suo conciente, optimum condimentum, famem dico, & quidem recentem ac indelibatam, domum secum adportans. Vt ut est ab Lambini interpretatione potius, quàm à capto, madidoq; in mensam apposito lepore manũ lectori abstinẽdam censuerim.

Satyra III. *minus aptus acutis*

Naribus horum hominum. hoc est, hominum huius sęculi, tam nasuti, ac omnia subsannãtis; explicatione petita ab Hendecasyllabo illo Catulliano:

O qui flosculus es Iuventiorum
Non horum modò, sed quot aut fuerunt. &c.

Satyra 4. *At tu conclusas hircinis follibus auras*
Vsq. laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Vt mavis imitare. beatus Fannius, ultrò
Delatis capsis & imagine. &c.

Liceat nobis etiã hoc loco liberã à metu sententiã dicere, atq. à reliquis Interpretibus in reverisimili sine fraude nostra dissentire: quibus uno animo pergentibus pro certo persuasum videtur, post τὸ *Imitare*, nihil quicquã ad superiora Poëtæ verba desiderari; ideoq; à sequentibus (quæ ijdem illi sic quasi per exclamationem dicta accipiunt) plena interpunctionis nota disterminanda. perperam, meo quidem animo; qui, *beatus Fannius*, cũ

ijs quæ

ijs quæ antecessere, construi coniungiq́. porrò oportere hariolor; idq́; per appositionem, puncto, quod medium est, expuncto. ut Satyrica concessione per Apostrophen dicat Poëta: Tu verò ô Crispine, ventum follibus conclusum, quantum & quādiu voles, imitare, beatus Fannius, hoc est, proinde vt alter Fannius, seu potius Fannij exemplo. quem per deridiculū *beatum* prædicat, ob impudētissimam immeritissimę glorię ambitionem, ac præposteram fiduciam sui. quam tantam in ineptissimo Suffeno illo extitisse videri cupit Horatius, vt ipsus vltrò, nec rogatus ab Aedituis, & imaginē & Poëmata sua in Camœnarum, vel potius Apollinis ædem Palatini (quam, Antonio & Cleopatra devictis, in Palatio magnificentissimā Præsidi illi Camœnarum Augustum excitasse, ac consecrasse tradit Suetonius, adiecta insuper porticu cum bibliotheca, Græcis Latinisq́ue libris instructissima) obtulerit dedicanda: unà cum infelicibus capsis, siue armarijs, in quibus ad usus diuturnitatem (ne videlicet pulvere aut situ corrumperentur) egregia tot ingeniorum facinora, hoc est, scripta immortalitate dignissima, suo quęque loco commodè ac ordinatim disponi, probéq; asservari mos erat. quod tamen non nisi publicis Senatus Populiq́ue suffragiis, de Quinque-viratus, hoc est, Criticorum (quibus ea provincia mā-

 data,

data, ut Poëtis recitatoribus vacuas aures præberent) quasi Prærogatiua sententia; aut etiam Principis auctoritate fieri consueverat: & quidem post obitum maximè, invidia iam omni, quæ vivos potissimum, quasi umbra persequi solet, dilapsa atq. exstincta. Vnde nō immeritò gloriatur Martialis, honorem hunc mortuis tantum deferri solitum, vivo ac videnti sibi à laudatissimo viro Stertinio obvenisse. Sequitur modico intervallo:

—— *quemvis media erue turba:*
Aut ob avaritiã, aut misera ambitione laborat.

quo loco rescribi malim: *Aut ab avaritia, aut* &c. Idq; mihi haud paulò concinnius, elegantiúsque videtur. eò magis, quòd casus mutatio non necessaria subsequatur, à verbo *laborat* utrobiq. pendentis. Habes eadem Satyra: —— *in medio qui*

Scripta foro recitent, sunt multi, quiq; lavantes:
Suave locus voci resonat conclusus. inanes.
Hoc iuvat.

Resonat. i. contra assonat repercussione iucunda imaginis iocosæ. Quod genus recitatorum obiter notatum etiam Senecæ, ita lib. 7. epistola 57. scribenti: *Adijce nunc furem deprehensum; & illum, cui vox sua in balneo placet.* Legimus porrò ibidem: *Nónne vides, Albi ut malè vivat filius? Malè,* id est miserè, ac vix vitam colat; quippe re universa per libidinem, & luxum, pessimos catillones, unà pariter, cum fide absumta

ad

ad egestatis terminos redactus scilicet, nihilq́. pręter miserrimam, hoc est, nudam animam reliqui habens. Potestq́ue hoc ipsum in Albium Tibullum Poëtam ęqualem suum ab Satyrico satis malignè detortum videri; non quidem ad mendicitatem istam, sed tamen ad paupertatem tali ingenio indignam, ex magnis & avitis opibus immeritissimò detrusum. Vtitur eadem phrasi Ovidius: *Si genus est mortis, malè viuere* .i. ægrè ac difficulter vitam sustentare, ne quis pro, *improbè aut nefariè viuere*, dictū accipiat. Scribit porrò Horatius: *Nabis sine cortice*.j. subere. Plautus *ratem scirpeā* vocat. Pergamus ad Satyram v.

Proxima Campano ponti quæ villula tectum
Præbuit, & parochi quæ debent ligna, salemq́.

Huc facit locus Tullianus, de sua ipsius cōtinētia, in Provinciā cū potestate publica missi, ad Atticū lib. v. *Scito non modò nos fœnum aut quod lege Iulia dari solet, nō accipere; sed ne ligna quidē: neq. præter quatuor lectos & tectū accipere quicquā*. Et mirū, nî eôdē à Comico nostro allusum in Aulularia: *Neque ligna ego usquā gentiū præberi vidi pulcrius:* ex persona Coci, fustibus ab Euclione mulcati, aç contusi probè. Scribitur porrò Satyra vi:

Optaret sibi quisque; meis (scilicet parentibus) *contentus, honestos*
Fascibus & sellis nolim mihi sumere.

Sic enim malo cum veteri Commẽtatore, quàm cum Lambino & aliis, *onustos* legere. phrasi honestissima, & qua Plautus identidem usus; ut Captiuis: *Honestiorem honore me fecit & facit*. Item Sallustius noster hoc Plautinum, vt videtur, exẽplum in Catilina æmulatus: *Sed quod non dignos homines honore honestos videbã*. Vnde liquidò paret, quãto de Sallustiana lectione honestius cõsuli potuerit Glareanus, si *honestatos* suũ pro *honestos*, in eum locũ nobis obtrudere atq. ingerere abstinuisset. Habes eadem Satyra sub finem: *Ad quartam iaceo; post hãc vagor, aut ego lecto, Aut scripto, quod me tacitum iuvet. ungor olivo, Non quo fraudatis*, &c. Septuosus sanè locus, & in quo declarãdo, lolio victitasse mihi videntur Interpretes, tam veteres quàm iuniores, quantum Poëtæ huic nostro usque adhuc manum sospitalem admouit. Frustrationis causa interpunctio nõ suo, sed alieno loco inculcata: deinde duorum Participiorum parum explorata veritas; *Lecto*, & *Scripto* dico; quæ Scholiastæ nostri de Pseudoporphyrionis sententia pro *Lectito*, & *Scriptito*, hoc est, pro Frequentatiuis accepisse videntur; supinè satis, atque incogitanter. Cui enim *Lectare* (quæso) aut *Scriptare*, vel fãdo auditum est unquam? Quæ vocabulorum insolentia satis esse poterat ad eosdem illos commonendos. *Lecto* & *Scripto*, nõ indicatiuĩ modi,

modi, & præsentis temporis verba, sed verò Participia auferendi casu posita videri, ut sit sensus: Postquam aut legi aut scripsi quidpiam, quod me suauiter afficiat recreetque. Vel, post lectionem, aut scriptionem rei, seu materiæ alicuius, quæ & levamẽto & voluptati sit mihi: deinde porrò oleo, & quidem melioris notæ perungor solens. Punctum itaq. post τὸ Iuvet inducendũ. Eodem modo locutus & Satyra 1.

& finire laborem

Incipias, parto, quod avebas. id est, postquam peperisti, seu adeptus & consecutus es, quod petebas; & cuius tantopere semper quidem usque adhuc cupiens atq. avidus fuisti. Nec Horatius modò, verùm etiam maior & melior illo antiquarius Crispus noster, in Fragmẽtis à Prisciano productis huiusmodi, ex eiusdẽ Historiarũ lib. v. *At Lucullus audito* (id est postquã audisset) *Q. Martiũ Regem pro Consule per Lycaoniã cũ tribus legionibus in Ciliciam tendere.* Item altero: *Legiones Valerianæ comperto* (id est postquã cõperere) *Lege Gabinia Bithyniam & Pontum consuli datam, sese* (sic enim ibi legẽdum in Notis nostris Sallustianis docuimus) *missos esse.* Vide Grãmaticum, quẽ dixi, de hoc loquendi genere fusius ac curiosius disserentem.

CAPVT IX.

Horatius duobus locis correctus, uno Persius. Martialis ex Horatio declaratus. Antiqua scriptura defensa in Lapides Varios. *Res praclara. Aurem substringe loquaci. Pater domus. Ficta rerũ. Properare & Cessare loco. Senium Camœna. Alia quadam de nota interiore.*

SATYRA IX. libri Sermonum primi, Horatius garrulo moroq; illi, & molesto interpellatori suo ita respondens inducitur à seipso: estq; sermo de gratia Mæcenatis captanda:

qua tua virtus,
Expugnabis; & est, qui vinci possit: eoq;
Difficiles aditus primos habet.

Apage *possit* istud. Neq. enim satis insequenti clausulæ subseruit. Nã quis obsecro, cui pectus sapiat, dicat, amicitiam alicuius eò facilius expugnabilem, atq. impetrabiliorem videri, quòd is qui captatur, asper atq. exoratu difficilis sit in principio? mihi certè omnia rectius constatura, multoque sequentibus aptius cohæsura sententia videtur, si pro *possit*, *poscit* emẽdemus, hoc est, postulat se ab ambitiosis captatoribus paulatim labefactari, animumq; suũ pertinaci ac indefessa solicitatione postremò tamẽ superari. atq. hinc est, quod prima ferè coitio multò acerrima esse consveuit Mæcenatem prensantibus,

tibus. Miror hoc nemini usque adhuc Commentatorum in mentem venisse. Satyra x.

Hoc erat, experto frustrà Varrone Atacino,
Atq. quibusdã aliis melius quod scribere possem:
Inventore minor. Ita enim distinguo: ut sit ordo & sensus, iam inde à superioribus, quasi à catena, dependens. Dij dona sua variè mortalibus dispartiti: sed alia aliis. & verum profectò, quod Virgilij fatur dictio: *Non omnia possumus omnes.* Sic Fundanium humili & comico, Pollionẽ contrà sublimi & cothurnato scribendi genere cæteris antistare videmus. Sic & Epici carminis Vario, Virgilio Bucolici principatum meritò herculeac lubenter deferimus: sine invidia cuique, quod suũ est, tribuentes. Mihi verò nihil quidem istorum omnium, cæterum Satyrico esse à Genio & Musis largitum. Quid enim agam potius? *Natura sequitur semina quisque sua.* Atq. hoc ipsum erat, quod mehercule tum Varrone Atacino, tum aliis quibusdam, nequicquam idem conatis, operamque abusis suam, melius ac feliciore successu tractare ac exsequi po!sem ipse. Itaque ablativi illi, *Varrone Atacino frustrà experto*, pariter porrò à *melius* commodissimè regentur. Neque enim commenta illorum probare po.sum, quibus ad proximi versus initium, nempe ad, *Invẽtore minor*, gradum istum comparandi referri placuit, proinde ac si Horatius.

suarum ipsius laudum buccinator, & quasi pręfica, Lucilianam Satyram prae suis Sermonibus contemnens, improbè ac falsò gloriaretur, hoc scripti genus multo à se laudabilius, quàm à principe illo Satyrae exornatore tractatum. quod contrà est. Neque enim Lucilio (quo se haud paulò inferiorem non hîc modò, verùm etiam principio libri sequentis palam ac ingenuè agnoscit) semet anteferre voluisse cēsendus Venusinus, πολλοῦ γε καὶ δεῖ: sed potius Varrone Atacino, reliquisq; eiusdem notae, simiis verius, quàm aemulis Satyrę Lucilianae, infelicissimè eā provinciam aggressis. ut quidē videri cupit Satyricus noster. Vnde illorum etiam error detegitur, qui verba illa, *inuentore minor*; ironicôs intelligenda fidem nobis facere conati. Habes porrò eadem Satyra,

—— fuerit Lucilius, inquam,
Comis & urbanus: fuerit limatior idem,
Quàm rudis, & Graecis intacti carminis auctor,
Quamq; Poëtarum seniorum turba. &c.

Quem locum difficilem & impeditum sic expedit, atq. explicat Lābinus: Demus (inquit Horatius) Lucilium limatiorem fuisse, quàm auctorē Satyrae Graecis intactae esse oporteat: quod idem ferè valet, ac si dicat: Demus Lucilium fuisse limatiorem, quàm esse debuerit, atq. quàm alij faciūt. *Rudis* in patrio casu accipio, & cum voce *Carminis* coniungo.

coniungo. Nam quod alij positivum pro comparativo positum interpretantur, hoc modo;

fuerit limatior idem,

Quàm rudis, id est, fuerit limatus potius, quàm rudis, & impolitus; hoc illi non rectè. Sic enim locutus esset Horatius: Fuerit limatior, quàm rudior, ut docent exempla. Hactenus Lambinus, nec in casu *τȣ̃ rudis*, verùm in auctore carminis Græcis intacti eruendo deceptus; quo quidem ego nõ Lucilium, sed Ennium denotari autumo: Ennium inquam, principem illum Satyræ repertorem; & qui ante Lucilium id genus poëmatis Romanis Musis gratificari fuerat aggressus: libris aliquot eo titulo & argumento inscriptis. in quibus Apologos etiam ac Fabellas (ut Agellianam illam de Cassita) inseruerat festivissimas; prorsus Lucilianum in morem, item Horatij nostri; *Mutatis tãtùm pedibus, numerisq; facetus.* quorum pars Senarij, alii Quadrati, partim etiã Hexametri fuisse videntur. id quod planius porrò in Fragmẽtis nostris Ennianis nos in tempore demonstrassere est confidentia. e quibus illud quoq. ab Agellio inter cætera laudatum,

Meum non est, at si me canis memorderit; Horatius noster imitatus in usum suum convertisse videri potest; ita de se ipse prædicans Satyra 1. libri sequentis:

Ne-

Nec quisquam noceat cupido mihi pacis, at ille,
Qui me commorit, (melius non tangere clamo)
Flebit &c. Sensus itaque erit: Esto, fuerit inquam Lucilius urbanus & comis: demus etiam limatiorem, id est tersiorem ac emẽdatiorem fuisse, quàm Ennium nostrum; primum illum rudis Satyræ inventorem, aut etiam sequutam seniorum, hoc est, antiquiorum Lucilio Poëtarum turbam: nihil tamen ad munditiem, cultum, aut polituram seculi nostri. Posset & Nævius intelligi, ex cuius Satyra unum exemplum modò à Festo productũ habemus huiusmodi; *Quianam Saturnium populũ pepulisti?* Sed verisimile est Poëma Nævianum istud non Satyram, sed Saturnum potius inscriptum fuisse. tametsi in re adeò incerta ac septuosa, meum non est, eiusmodi temere quidpiam quasi pro comperto asseverare.

Sed quoniã Lucilij festiua nata est mẽtio, quid vetat duos porrò de una fidelia parietes dealbare, &, quod huc (ad Lucilium dico) non leviter facit, Persiani exempli emendationem Horatio condonare? Scribit igitur ille Satyra I.

secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

In quo equidem demiror, neminem etiamdum, quod offenderet, offendisse. Mihi certè de mendo haud levis suspicio iniecta; eò gravior, quò Apostrophe

strophe illa, *Te Lupe, te Muti*, &c. minus clausulæ insequenti respondet. quam propter subitam personarum mutationem, haud sanè video, quonã gentium debeat referri; aut quinam homines isti sint, in quibus Lucilium genuinum fregisse videri cupit Satyricus; Lupúsne, & Mutius, an potiùs Vrbs ipsa, quæ præcesserat? Gerræ germanę, atq. ædepol lyræ lyræ. Nam quis obsecro sanæ mentis hũc in morem loquutus unquam? Itàq. corrigatur me coniectore quàm primum: & rectè fortasse, si ad hoc porrò exemplum rescribamus: *Te Lupe, te Muti, & genuinũ fregit Iulis.* ut per Iulos, Iuli sive Ascanij progeniem (quos Troiädes idem dixerat antea, Aeneadas & Troiugenas alijs ab eadẽ causa indigitatos) hoc est, Optimates, ac proceres Reip. Ro. intelligantur. quos non minus, quàm Vrbem, id est universam Plebem urbanam in xxxv. Tribus iam inde ab antiquo dispartitam, Satyrico sale à Lucilio defricatos significat Persius, illud credo Venusini nostri exprimere gestiens, de eodem Auruncano: —— *atqui*

Primores populi arripuit, populumq; tributim.

Id est, ordine per singulas tribus Satyrico dente grassatus. Huc accedit, quòd si volgatam scripturã retinere ac defendere velimus, necessariò consequens erit interpretari, Lucilium genuinum suũ in Lupo & Mutio fregisse, hoc est, (uti Horatius inquit)

inquit) solido offendisse, dum fragili dentem illidere sperat sese. Atqui longè aliud volt Aulus noster. Quidnam igitur? Genuinum non Lucilio fractum, sed illis potius, in quos ipse cruentos ac volnificos dentes suos, hoc est, dentatæ chartæ, ac Satyrici styli aciem nominatim incessens quemque, nec dignitati cuiusquam, aut populari gratiæ parcens, magna animi securitate distrinxerat.

Illam porrò phrasim silentio transire quî possim, ex Satyra 1. libri posterioris?

Quin vbi se à vulgo, & Scena in secreta remorât
Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia Læli, &c.

germanitùs consentientem cum huiusdem libri altera istac: *Ergo ubi me in montes & in arcem ex urbe remoui. Virtus Scipiadæ*, autẽ; hoc est, virtute ac fortitudine præstans Scipio: quemadmodum, *Mitis sapientia Læli*, mitem ac sapiẽtem Lælium nobis repræsentat, poëticè oppido ac περιφραστικῶς. Sequitur deinceps Satyra 2.

vides, ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? Atque hinc liquidò est intelligere, cur *Pallida* epithetũ Romę potissimum, hoc est, Senatui ac Quiritibus, aprugna cœna à Gallico exhibitore acceptis assignaverit Martialis: cuius verba adscribam eidem Gallico inscripta:

At tu continuò Populumq; Patrésq. vocasti.

Ructaq;

Ructat adhuc aprum pallida Roma meum.

Quamvis sibi editiones eo loco non satis constãt, & in nonnullis exemplaribus legitur, *Callida Roma.* Quod si cui potius arridebit, poterit ad aprugnum callum, quem Romani illi convivæ Gallici, Poëta datore præterito, unà pariter cum hæredipeta apro totum absumpserant, nimisq. avidè in ventrem abstulerant, non incallidè aptari. In quo Comicus etiã noster nimis festiuè ludos suo more solens fecisse videtur: exempli gratia: *Callum aprugnum æquè callere non sinam.* & alibi passim nõ semel. Satyra porrò tertia ex persona Damasippi, qui fide cõsumpta, rebusque omnibus desperatis, in Tiberim se pessum ac præcipitem dare destinauerat, narrationem persequitur Flaccus his verbis:

Nam malè re gesta, quum vellem mittere operto
Me capite in flumen. &c. *Operto.* id est, velato & obnupto capite dicit, ex eorum hominum more, qui spe longioris vitæ in posterum eiurata, ac deliberata morte feroces facti, à luce semet abiudicare obstinatis animis consueverant. Cui expeditæ interpretationi non parum lucis conferre videtur exemplum Suetonij, idem de Nerone Cæsare, saluti suæ diffiso, ac iam iam perituro in vitæ eius exordio narrantis:

Vt erat nudo pede atq. tunicatus, pænulam obsoleti coloris superinduit: adopertoq; capite, & ante faciem

ciem obtento sudario, equum inscendit. &c. aliaque eiusmodi plura ab Historicis passim suis locis conquirenda. Satyra verò eadem ubi legitur, in modũ dialogismi:

Men' vivo? ut vivas igitur, vigila. &c. Nũquid sententia apertior, longéq. concinnior futura videtur, si rescribatur *? ut vivas agitur*. hoc est: In eo sumus toti, atq. in hac cogitatione cura omnis cõsumitur nobis, quò videlicet vitam tibi prorogemus porrò medicina & curationibus nostris. Inducitur ibidem polluctè prodigus adolescens, ne dicam; pecuniæ suæ iratus; eamq; propterea quãtum potest egurgitare festinans; piscatoribus, pomariis, aucupibus, unguentarijs, cocis, cupediarijs, fartoribus, danistis, scurris, lenonibus, scortis denique, atq. eiusmodi nugis hominum profusissimè dilargiendam. quos in unum coactos singillatim compellans, ac δεικτικῶς designans hoc pretio à se muneratos dimittit:

Sume tibi decies; tibi tantundem; tibi triplex;
Vnde uxor media currat de nocte vocata.

Quem postremum versum ita capior interpretari: Sume triplam mercedem tibi, ob gratiam mihi, de communi uxore factam, ita prompta ac facili, ut quamvis subitò libello Vitelliano, hoc est, Venereis vadimonijs citata vel media de nocte vadanti se sistat, ut priusquã medius dirumpar miser, tento

mihi

mihi ac sufflato sit præsto; omnibus modis, locóque, ac tempore morigeram atque obsequentem voluntati meæ se præbens. id quod omne tuæ comitati in primis acceptũ meritò referre possum, cuius permissu hoc facit. Enarratione quæsita ab altero Satyrici loco, eiusdem propè cum hoc argumenti: ubi ex obliquo & quasi aliud agens, pravam, hoc est, turpilucri cupidam in testamentis locupletiorum captandis consuetudinem perstringit: dum sub Tiresiæ vatis persona, inter cætera huius aucupij præcepta Vlyssi consulenti suadet Poëta urbanissimus, ut si catulientẽ eiusmodi senẽ, quẽ captet, nactus fuerit, qui alienas etiã uxores consectetur, & adulterandis matronis præter ætatem ac dignitatem suam studiosus videatur; ne exspectet, dum à vetulo vervece illo solicitetur; sed verò, hæreditatis assequendæ, petitionem eius præveniens, ultrò Penelopen suam, uti potiori, conciliet; eamque ipsus ad domum cuculi, hoc est, commariti sui adducat non rogatus. Exemplum sic habet:

Scortator erit, caue te roget; ultrò

Penelopen facilis potiori trade. Non enim Cõmentatoribus subscribo, *Triplam mercedem istam*, ad unum modò lenonem falsò pertinere persuasis: Lenonem dico, qui meretriculæ alicuius ancillantis sibi (quam invidiæ nominis molliendæ

uxorem suam indigitet adolescens) scortatori illi salaci in tempore faciat copiam vel media interdũ de nocte, & quidem de subito accitæ, si ita tamen admissario superbissimè iampridem turgenti, ac modò non tunicas suas pertundenti usus veniat. Ridiculè: & certè probabilius, ut de marito quopiam, curruca verius quàm viro, dictum accipiamus: qui communis quæsti gratia uxorem suam quasi catillatum ex lubidine opulenti & prodigi adolescentis de nocte foras ablegat, operam eius usurariam locans passim ac prostituens adultero: atq. ita de naui muliebri, ceu vectoria communi, victum quærens sibi. & quidem aliquãto facilius, quàm si, ius maritum tutans mordicus, solus ea sine æmulo noctes ac dies potiretur, non uxorijs modò, verum etiam suis, & (quæ ratio maxima est) publicis commoditatibus, malignè atq. inuidenter officiens. Sed hæc & more nostro, & Horatiano exemplo, hoc est, Decembri, ac Satyrica libertate iocati, ulterius porrò (& quonam potius quàm ad proximè sequentem Eclogam?) gradũ aliquando faciamus:

Ten' lapides varios lutulenta radere palma?

Puto rectum esse; neq. Erasmum audiendum, qui *Parios* emendandum persuaserat Glareano. sed perperam; uti non hinc modò, verum etiam ex Seneca manifestò dilucet, ita scribente libr. I.

Epistola

Epistola I I X. *Domus munimentum sit aduersus infesta corpora. Hanc utrum cespes erexerit, an varius lapis gentis aliena, nihil interest.* Denique ex isto Petronij loco:

Et dum varius lapis invenit usum,
Inferni Manes cælum sperare iubentur.

Satyra v. *Si cui praterea validus malè filius in re*
Præclara sublatus aletur. Id est, in re opima, luculenta, ac splendida. Sed & Cicero huius quasi rei interpres: *In alienam pecuniam plenam atq. præclaram invadere.* apud quem etiam *opima & præclara præda*, est alibi. Scribit idem Satyricus noster: *Aurem substringe loquaci.* Certum est antiqui Commentatoris potius, quàm Lambini & iuniorum sententiam sequi: ut pro, *Aurem admoue*, seu *intende*; positum accipiamus ratione huiusmodi: *Substringe*, id est, surrige, sustolle, & quasi succinge aurem, non flaccidam, vel demissam, sed subnixam, suspensamq; auditione vaniloquentiæ eius quem captas: quò attentior scilicet videare, ac lubenter oppidò audientiam facere, nugas ac deliramenta garrienti. quorũ tædium hercle continenter devorandum est tibi; atque ita assimulandum, quasi pro cibo habeas odiosas vaniloquidori illius affanias auscultare; si modò tutam mendacio fidem constare postules. Sequitur haud multo pòst:

Importunus amat laudari, donec, Ohe iam,
Ad cælum manibus sublatis dixerit, urge: &c.

Manus in calũ sublatas cùm verbo *urge* cõstruendas opinor; ut nõ ad eius qui falsò & præter modũ extollitur, verùm potius ad ipsius laudatoris gestũ referatur: quem manibus in altum leuatis more assentatoribus antiquitus usitato, plaudẽtẽ orbo & diuiti illo Suffeno inducit Poëta. id quod clarius ex Martiali est intelligere, scribente:

Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus.

Atque ad eorundem assentatiunculas etiam pertinet illud, quod sequitur de *Tumidis sermonibus:* quibus aliud nihil significari opinor, quàm faustas & parasiticas illas faventium auditorum acclamationes non sine palpo ac plausu, puta *Bellè* & *Festiuè*, *Euge*, & *grande Sophos*: & alia talia apud eundem poëtam, tum Iuuenalem frequentia, ne dicam, omnibus paginis obuia. qua de re etiam Ciceronem, qui volet, consulat III. de Oratore. Satyra VI. urbanum sanè illud de mure non urbano, sed muri urbano tamen & hospitium & cœnam præbente:

Cùm pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador, loliúmque, dapis meliora relinquens.

Pater domus est paterfamilias. *Domum* enim pro *familia* poni sollẽne antiquis: & in Fastis Ouidio:

Tota

Tota domus tres sunt, hoc est, materq; paterque,
Nataq; tres illi tota fuere domus.

Est enim continens pro contento. Progrediamur ad locum Satyræ VII. —— *amicum*

Mancipiũ domino, & frugi, quod sit satis, hoc est, 343
Vt vitale putes. Placet Pseudoporphyrionis expositio, quę est: Vt me velis esse vitalẽ tibi; cui addas licet; quippe seruum continentem atque ex sententia, quemque ob vtilitates, quas infinitas præbet tibi, magis ex re tua esse iudices, ut communi hac aura quamdiutissimè fruatur, quàm vt eundem, quasi à vitæ fructu abiudicatum, atque ad molarum coloniam nomen dare iussum, in Lucanos tuos aut Tusca ergastula; hoc est, in pistrinũ, phylacam, ac lapicidinas detrusum, Cordato alicui Plautino, ob immeritam noxiam puniendum atq. excruciandũ propines. proinde ut verberonibus, ulmitribis, bucædis, restionibus, furciferis deniq. ac mastigijs & cætero plagigerorum hominũ generi fieri consueuit. Quòd si quis Turnebicæ opinioni acquiescere potius maluerit, poterit is in rẽ porrò & auctoris & suam, duorum hominum sententiæ firmandæ, hoc Petronianum Fragmentum me monstratore, si volet, accommodare:

Cibus auidũ strãgulauit abstinentem frugalitas.

Vt suam ipse continentiam extollens Davus, dicat; se quidem servum & frugi, & parcipromum

esse; non tamen triparcum nimis, nec ita, ut ipsus enecturus sit sese, immodica servilis Genij defraudatione, ventri suo quotidiè dentibusque dētientibus quasi bellum indicens, peculijq. augēdi vnciatim semper aliquid de demenso suo delibans ac comparcens miser. quippe cibi tantum ac potus sumens, quantum naturæ, perpauxillo oppidò contentæ, sit satis. Satyra ultima:

——— Vbidius dum
Quærit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti, non dentur pocula: dumq;
Ridetur fictis rerum, Balathrone secundo. &c.

Fictis rerum, hoc est, ob res graphicè confictas atq. adumbratas, ad verum. Tale est illud suprà, *Corruptus vanis rerum*, id est, inaniis & vana rerum specie. Vt sit sensus: Dum Balathro Mimi in morē secundas agens, & quasi mutuas cum collega suo Vibidio operas tradēs, Nasidieni porrò ludificādi gratia, proinde assimulat, ac si verè confracta esset lagena vinaria, magno potantiū incommodo. &c. Aliorum interpretamenta non moror. Libr. I. Epistola VII. narrat de Vulteio Mena præconiū faciente Horatius:

Et properare loco, & cessare, & quærere, & uti.

Properare & cessare opposita sunt. Dicit autem Menam utrumq. istud, *loco*, hoc est, in loco & tēpore facere consuevisse. Idem de duobus proximis

mis verbis dictum velim. *Quærere* enim ad quæstum & compendia, *uti* verò ad ſumtus & impẽſam pertinet. Atq. in utroq. Menam moderatum ac temperantem eſſe videri cupit Poëta. Rectè & ordine. Non enim (vel Plauto teſte) quæſtus aliquis ſubſiſtere poteſt, ſi eum exſuperat ſumtus. id quod in Mentula neſcio quo grauiter à Catullo exagitatum. Epiſtola XVII. libri eiuſdem.

Surge, & inhumana ſenium depone Camœna. Placet doctiſſimi Lambini commẽtatio, *Senium* hoc loco pro odio, id eſt, tædio ac moleſtia, quæ aliis diuerſa ſequentibus ex Poëtarum conſuetudine paritur, accipientis: antiquè. Vide Nonium in eapſe dictione *Senium*. Altera enim explicatio illa, quæ charteis marginibus editionum aliquot prætexta legitur, exemplo huiuſmodi: (*Senium id eſt, ſeueritatem, qualis eſt ſenum, qui ab omni relaxatione animi abhorrent*) ferri nullo modo poteſt, quippe prorſus repugnans præcedentibus Poëtæ verbis, illis inquam, quæ habes aliquanto antè; — *donec ſuſpecta ſeuero*

Conticuit lyra. vbi ſeueritatem nõ Amphioniæ lyræ, ſed ruſticis vereque barbaris Zethi moribus attributam vides.

CAPVT X.

Catus quamtumvis rusticus. Quot annos Athenis studiorum causa abesse soliti Romani. Natales gratè numeras. &c. ad munera natalitia relatum; idq; aliquammultis Martialis exemplis ostensum.

LIBERA verò & perurbana illa Luculliani militis responsio; cæterùm interpuncti vitio laborâs adfatim. cuius contagium porrò etiam ad Enarratores manauit, pessimam distinctionem istam interpretatione insuper sua, quasi prærogativa, munientes:

Post hac ille catus; Quantumuis rusticus, ibit,
Ibit eò quò vis, qui zonam perdidit: inquit.

Vt responsum militare à voce *Quamtumvis* initium sumat; significantis, non se, iam abundè ex præda regia ditatum, sed vero inexpertum aliquē quamtumvis rusticum huiusmodi verbis confirmandum, quem inopia ad tantum porrò facinus audēdum exstimulare possit. Quam quidem sententiam improbare non possum. Pœnitet constructionis tantum, ab Horatiana mente immane quantum discrepantis. Etenim geminas dictiones illas, *Quantumvis rusticus*, non quidem ad sequentia (uti illis placet) sed verò ad præcedentia pertinere ratione verisimili auguror, commutata interpun-

interpunctione, & capitali litera in *Quamtumuis* inducta, ad hanc faciem:

Post hac ille catus, quantumvis rusticus: Ibit,

Ibit eò, &c. ut sit sensus: *Post hac*, scilicet post Regale præsidium deiectum, nõ iam temerarius, ut antè, quum zonam suam perdiderat; verũ cautus, providens, ac circumspectus; quippe præda ex sententia onustus (secundum vernaculum illud nostrum, Rycke lieden en vechten niet / hoc est, Locupletes non pugnare) *quantumvis rusticus*, id est, quamquam indoctus, neq. studiis humanitatis, aut ullis sapientiæ præceptis excultus, quẽadmodum ego; imò ab aratro fortasse iam inde à principio ruri in militiam pertractus; cupidine profunda licentiæ, ac rapinarum, bellantes ut consuevere: *Ibit verò*, (inquit) *eò quò iubes*, *nempe castellum istud expugnaturus*, *veteri exemplo meo*, *si quis zonam fortè cum viatico perdiderit*; *ne me censeas*. Habes deinceps eadem epistola:

Ingenium, sibi quod vacuas desumsit Athenas;

Et studiis annos septem dedit. &c.

Septennium Atheniensi commorationi legitimè assignat, ex disciplina & consuetudine priscis illis celebrata. Tot enim annos ad ingenij cultum capessendum, studiaq; Philosophiæ percipiẽda primariæ illi, artiumq. inventrici civitati impendere solita iuventus Romana. Vnde error eorum denudatur,

nudatur, qui tempus finitum pro infinito positũ somniavere. Nec minor in illius loci explicatione frustratio; sub eiusdem porrò Epistolæ finem:

Natales gratè numeras, ignoscis amicis:

Cuius prior pars ita exponitur à Lambino: *Tui generis auctores libenter recenses.* quam opinionẽ etiam pars melior amplexa. Alij per *Natales*, annos (de quorum multitudine plerosque confiteri pudet) & ætatem dumtaxat significari volunt; de qua ingravescente haud sanè libenter cogitamus, ne videlicet præcipitis, iamq. in extrema propè tegula stantis senij nostri, hoc est, horæ fatalis mortem vicinam denunciantis, certam, haud arbitrariam dico, nosmetipsos in memoriã inducamus. Vtrumq. falsum. Neque enim hoc agit Horatius. Quidnam igitur? Ego dicam tibi, quisquis es. Ad sollennem seculi sui morẽ respexisse arbitror Poëtam, quo iam inde ab antiquo institutum, ut die cuiusque natali ab agnatis, gentilibus, propinquis, affinibus, amicis, clientibus, servis, liberis, notis deniq. dona natalitia mitterentur, quos ille referundæ invicem gratiæ ad cœnam frequentes convocatos natalitio epulo albatus accipiebat. quæ munificentia quum plerisque tenuioris fortunæ datoribus grauis, ne dicam, calamitosa eveniret, eosque pænè expeculiatos redderet acceptoribus illis quotãnis renascentibus; reperti sunt, qui

qui amicis pauperioribus, nec sumtus sustinere valentibus, de munusculo isto annuo gratiam facerent: amicitiæ ac tenuitati debitorum sollenne illud ius suum liberaliter condonantes. aut si ab aliquo fortè eiusce notæ dona missitata acciperēt, 346
eosdem vicissim alio à se beneficio remunerarentur, non quidem par pari hostimentum reddētes, sed potius χρύσεια χαλκείων. Atque hoc est quod prædicat Poëta noster, *Natales gratè numeras*, significans, Natales eius amicis suis ob causam eā quam dixi, fraudi & detrimento non esse, sed gaudio potius, ac lucro. Nisi si quis, *Gratis*, pro *Gratè* rescribendum harioletur. cui correctioni firmādæ subsidio esse poterit Martialis illud:

Natali dare, Quinte, tuo tibi parua volebam
Munera: tu prohibes. imperiosus homo es.
Parendum est monitis. fiat, quod uterq. iubemus:
Et quod utrumq. iuvet, tu mihi, Quinte, dato.

Ad cœnam verò natalitiam, & munera illa quæ dixi, pertinet Hendecasyllabum quoddam eiusdem Poëtæ in Sextum quendam ex libro Epigrammatum VII.

Ad natalitias dapes vocabar;
Essem quum tibi Sexte non amicus.
Quid factum est rogo; quid repentè factum,
Post tot pignora nostra, post tot annos
Quod sum præteritus vetus sodalis?

Sed

Sed caussam scio: nulla venit à me
Argenti tibi libra pustulati:
Nec levis toga, nec rudes lacernæ.
Non est sportula, quæ negotiatur.
Poscis munera Sexte, non amicos.
Iam dices mihi, vapulet vocator.

Integrum Epigramma proposui quo res omnis fiat clarior, & cuiusmodi potissimùm dona missitari solita diebus genitalibus. Quò etiam referundus iocus ille in Clytum libri sequentis:

Vt poscas Clyte, munus exigásque,
Vno nasceris octies in anno.
Et solas puto, trésue, quatuórue
Non natalitias habes Kalendas, &c.

His addatur nõ alieni, sed sui ipsius natalis præconium ex libro x.

Natales mihi Martiæ Kalendæ,
Lux formosior omnibus Kalendis;
Qua mittunt mihi munus & puellæ:
Quinquagesima liba, septimamq;
Vestris addimus hanc focis acervam.

Item alterum Restituti Genio inscriptum, vbi natalitiorum munerum quasi catalogus quidam recensetur. deniq. alia opere toto in oculos incurrentia passim. Sed plura de hoc ritu in Præcidaneis nostris Plautinis, Natali Ballionio in gratiã Pseudoli suo tempore imputanda. Concludam

cludam festivo aculeati Epigrammatis auctario, in Sempronium Rufum conscripti, qui ob ciconias edules factas, atq. ex earum conditura novam ὀψοποιΐαν Romæ institutam, repulsam tulerat Preturæ: vnde & Prætorij titulo per irrisum insignitus à Flacco. Id verò apud hybridam Poëtæ nostri interpretem exstat huiusmodi:

Ciconiarum Rufus iste conditor;
Hic est duobus elegantior Plancis.
Suffragiorum puncta non tulit septem:
Ciconiarum Populus ultus est mortem.

Numeri sanè optimi, & Catullianis persimiles, quibus decôris causa claudicatio, ignota (ut videtur) ac contraria dimensioni illorum, qui ex Scazontibus bonis Trimetros nobis concinnavere nō bonos. Cæterum *Elegantiam* hoc loco in vitio poni, operæ pretium fuerit observare, quomodo *Insolentiam* apud Tullium, pro nimio sumtu, lautitia, seu luxuria in quæsitissimarum epularum apparatu; quo, duos quidem Plancos cæteris omnibus antistare tacitè innuere videtur Epigrammatarius noster; at nihil ad Rufum. cui tamen ars ea haud minimæ utiq. fraudi fuisse videtur, præcipuè in petitione Præturæ, qua à competitoribus suis, & Plancis fortasse, victus discesserat elegans iste ciconiarum condîtor; vix septem suffragiorū puncta supplici ambitu, ac infami largitione eblan-

blanditus à Populo. quod omne ὑπερβολικῶς, hoc est, Poëticum in morem dictum videri debet.

CAPVT XI.

Versus gemini C. Lucilio redonati ex Iuvenali. item alter Iuvenalis locus interpretatus ex Luciano.

DABITVR postremum hoc Caput, non quidem Horatio (ne quis erret) sed tamen Horatij, vel dicis potius causa Lucilio. Lucilio inquam, cui (ut exquiratur usque ab stirpe auctoritas) Satyra potissimum debet, quod Latinam agnoscat originem; quodq. in re Romana, haud transmarina censeatur; unde non iniuria hercule & auctor & inventor Carminis Græcis intacti prædicatus Horatio; insuper hoc elogio meritus cohonestari:

——— *quid? cùm est Lucilius ausus*
Primus in hunc operis componere carmina morẽ;
Detrahere & pellem, nitidus qua quisq. per ora
Cederet, introrsum turpis. &c. Hinc princeps etiam nasi stylum acuisse dictus Plinio; in quo tãtam tamque insignem laudem ac lauream adeptus magnus ille Auruncę alumnus, ut (vel Quintiliano teste) reperti sint quidam (atq. in his postea Hadrianus Imperator) qui eum nõ Horatio modò,

dò,

dò, atque eiusdem operis auctoribus, sed verò Poëtis omnibus, atq. adeò Virgilio ipsi anteponere nō dubitaverint. Recte'ne, an secus, nunc hîc non agitur: illud potius, ut (quod lemmate præmisso recepimus) de Lucilio duorum versuum accessione locupletando, tandem exsolvamus. Legitur proinde primâ Iuvenalis Satyra:

—— vnde illa priorum
Scribendi, quodcumq; animo flagrante luberet,
Simplicitas: cuius non audeo dicere nomen:
Quid refert, dictis ignoscat Mutius, an non?

E quibus duos posteriores versus, cum hemistichio, vel potius cum maiore prioris Hexametri parte, ut tandem liberali causa manu asseramus, suoq. auctori nunc primum deniq. Iuvenalis beneficio vindicemus, admonet nos, & quasi manu ducit ipsius Aquinatis Poëtæ sententia, suo se indicio prodentis. per *Priores* enim Lucilianum seculum, seu potius Lucilium ipsum designari arbitror: cuius tanta fuit in scribendo acrimonia ac libertas (quam Satyricè Iuvenalis *Simplicitatem* appellat) ut nominibus non modò veris, sed etiã magnis ausus fuerit abuti; ipsósque adeò populi primores arripere, populúmq. tributim, hoc est, omnes quinque & triginta Tribus vrbis antiquæ: *Scilicet uni æquus virtuti, atque eius amicis*, uti Horatius testatur. Verba igitur illa,

——— *Cuius non audeo dicere nomen?* capitali litera auſpicanda, eoque modo, quē propoſui, interrogationis nota inſignienda erunt, ut ſignificauerit princeps iſte Satyricus: Quis verò cum tanta dignitate eſt obſecro, cuius nomen palã enunciare non auſim? aùt qui me vel metu, vel reverentia ſui deterreat, quò minus eum quicunquē tandem fuerit, nominatim porrò inceſſere, ac Satyrico ſale defricare auſim, modò opprobrijs dignum? ut loquitur Horatius. Quã Luciliani exempli laudationem Interpretes noſtri non aduertentes, & cum Aquinate, non verò Auruncano Poëta rem ſibi eſſe arbitrantes, mirum quas nobis tenebras offundere, atq. (ut paucis multa abſoluã) intelligendo fecerunt, ut nihil intellexiſſe videantur. Quod ut fidentius liberiusque pronuntiem, impellit me Luciliani ſſimus iſte Mutius, quem cognomento Scævolam, famoſis à Poëta, quem dico, verſibus coopertum non Iuvenalis ac Perſius modò, ſed & ipſius operum Lucilij Fragmenta indicium pariter ac fidem faciunt. quæ & univerſa & ſingula Centoni noſtro Luciliano reſervanda, unà cum aliorum Scriptorum reliquijs, undequaq. collectis; quas ſolas hercle ex tanta tot egregiorum ingenij facinorum vaſtitate, Grammaticorum nobis induſtria reliquas fecit, confidentia eſt nos in tempore exhibituros. Sed quoniam

niam cœpit Iuvenalis mentio, atq. hoc caput aliũde supplementum desiderat; cur non (quoniam bellissima est occasio) aliquid porrò eiusdẽ Poëtæ attexitur, quod superiori velitationi, quæ mihi cũ Horatij Interpretibus fuit, pausam faciat; & speratum aliquando laboribus nostris finẽ imponat? Scribit igitur ille Satyra v. grauissimas istas parasiticæ, hoc est, aulicæ vitæ incommoditates, prorsúsque intolerabiles alienæ quadræ contumelias, quibus clientes suos hoc genus accipere consuevit, aliud sibi, aliud Laudicænis anteambulonibus suis vinum apponi iubentes, graphicè & quasi ad viuum repræsentans.

Qualis cœna tamen? vinum, quod succida nollet Lana pati. &c. Quod de vino pingui dictũ accipio, enarrationem istiusmodi ab Luciano mutuatus, eandem indignitatem in mercede conductis planissimè detestante, his verbis: καὶ τὸ οὐδέπω ἐκεῖνο ἔφην ὅτι τῶν ἄλλων ἥδιστόν τε καὶ παλαιότατον οἶνον πινόντων, μόνος σὺ πονηρόν τινα καὶ παχὺν πίνεις, &c. Natura enim ita ferè comparatum videmus, ut ea quæ unguinosa & pinguia sunt, extrinsecus adhærescant tantùm, neque facilè adeò à lana præsertim succida, hoc est, illota quæ sit, penitus imbibi possit. Estque de mustis, quod genus & crassissimum & pinguissimum erat, eoque vilioris notæ, ac imi tantùm subsellij convivis apponi

ſolitum, intelligendum. id quod ex eiuſdem Luciani Epiſtolis Saturnalitijs perſpicuè planum. ἢ πῶς γὰρ γεγράφθαι τοῦτον τὸν νόμον, τὸν μὲν ἀνθοσμίου μεθύσκεσθαι, ἐμοὶ δὲ ὑπὸ τοῦ γλεύκους διαρρήγνυσθαι τὴν γαστέρα; Vinum Crucium indigitat Lucilius. Cæterū de Iuvenali plura in Præcidaneis noſtris, quæ iampridem affecta, vix eſt, ut Lectori debeamus diutius. Itaque propediem edentur, cum Dîs volentibus. Ave, mi Lector, & faventiam adhibe, quiſquis es.

FINIS.

ANTVERPIÆ EXCVDEBAT
CHRISTOPHORVS PLAN-
TINVS, ARCHITYPOGRA-
PHVS, REGIVS. CIↃ. IↃ.
LXXX. KAL. IVN.

351